

**Narratio regionvm Indicarvm per Hispanos qvosdam deuastatarum
verissima / priùs quidem per Episcopum Bartholomæum Casaum, natione
Hispanum hispanicè conscripta et anno 1551. Hispali, Hi- spanicè, anno
verò hoc 1598 latine excusa.**

Contributors

Casas, Bartolomé de las, 1484-1566.

Publication/Creation

Francofvrти : Sumptibus Theodori de Bry, & Io- / annis Saurii typis, Anno M.D.XCVIII.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hhfzbhh8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Richard Needham



3674/3

X

LAS CASAS (Bartolomeo)

Medina I. p. 578

59650

Edward Berwick
Grenville


1867

Sun Willem Poos

NARRATIO
REGIONVM
INDICARVM PER
HISPANOS QVOS DAM
deuastatarum verissima : prius quidem
per Episcopum Bartolomeum Cisalum,
natione Hispanum Hispanicè conscripta,
& Anno 1551. Hispali, Hi-
spanice, Anno vero hoc
1593. Latinè ex-
cusa,

FRANC OFVRKI
Sumptibus Theodori de Bry, & Ia.
annis Saurii typis.

Anno M. D. XCVIII.





 ILLVSTRISSIMO PRIN-
 CIPI AC DOMINO, DOMINO
 FRIDERICO IV. COMITI PALATINO
 AD RHEVM, S. ROMANI IMPERII AR-
 chidapifero, & Electori, Duci Bauariæ, &c.
 Domino nostro clementissimo.

ILLVSTRISSIME Princeps Elector, Co-
 mes Palatine, Domine clementissime, postquam
 se numero ab honestis viris historiarum stu-
 diosis, interpellati, & diligenter rogati sumus,
 ut opusculum hoc præsens (: quandoquidem et
 illud in plarissimè linguis dudum in lucem
 prodit;) etiam latinitati donaremus, et iconi-
 bus artificiois, illustrare conaremur, ut totus tractatus redderetur
 luculentior et nitidior, ac lectorem benevolum ad attentionē maiore
 in uitatum extimularet: missum atq; exhibitum est tandem nobis, eo
 fine et consilio ab ipso auctore et translatore exemplar manu scriptum.
 Aequitati ergo consentaneum fore iudicauimus, ut in nobis nihil
 desiderari pareremur, sed nec opera quāquam arduæ et impensis haud
 vulgaribus parcere voluimus, vi candidi Lectoris expectationem et
 desiderium, quantum in nobis fuit, expleremus. Colophonemigitur
 huic operi imponentes, mature intelleximus Historiam hanc, omnibus
 doctis et honestis viris usui magno futuram, in primis contemplati-
 bus radices, abominanda & à pīs mentibus alienissimæ, tyrannidis,
 Auaritiam nempe, à Virgilia Auri sacram famem, sapienter appella-
 tam, foras eam libeter deditus. Et licet, dulcissimis, extremæ senectæ
 vir, parens noster, in suis historijs Americis, iam dudu publicatis Ge-
)
 storum

D E D I C A T I O.

storum quorundam, in tomis, ab Hieronymo Benzone calamo illustratis, faciat mentionem, fit tamen id obiter saliem pro illius historiae occasione. Hic vero libellus continet absolutam descriptionem immansimorum Hispanicae gentis facinorum, qua in miseros et infantes Indos exercuerunt. Eorum Icones maiori ex parte hic ponere consultum fore existimauimus. Cum igitur Illustrissime princeps Septemuir, D. clementissime, hic tractatus, licet exiguis, veritati pura undiqueq; correspondeat, et experientia multiplici subserviat, illustri alicui Patro- no eundem nuncupandum esse censuimus, sub cuius tutela et patroci- nio, à malevolentia Zoilorum tutus luce frui posset. Quia verò non solum in uniuersi mundi Theatro Celsitudinis V. optimi erga bonas artes et heroicas virtutes principe Electore dignissimas, affectus gene- rossimi celebrantur, verum etiam ad exoticarum historiarum cognitionem alacritas decantatur, constanti præterea fama ad nos per- latum sit, V. Celsitudinem, confectis grauioribus, gubernationem Palatini populi concernentibus, negotijs, solere laudatissimorum suo- rum Maiorum vestigiis insistere, ac dulcissimis historiis serecreare et oblectare, permoti laudabilis famæ illius magnitudine, tractatū hunc historicum V. Celsitudini submissè offerimus et dedicamus. Humili- mè orantes, vt ea clementer eundem suscipere, et illustri suo patroci- nio tueri dignetur. Data anno salutis recuperatae 98. Calendis Februario.

Illustrissimæ C. V.

humilimi Clientes

Ioan. Theodor. & Ioan. Israel de Bry
ciues Francofordienses.

P R A -

Prefatio ad Lectorem.

DPAVLVS APOSTOLVS non immeritò Auaritiam malorum omnium radicem esse dixit, siquidem experientia quotidiana satis probat, nullam tere esse malorum specie, quæ ab hac scelerata habendi cupidine non scaturiat. Cui consentiunt complures prophenorū hominum sententiæ ex naturæ sensu, & rerū quas cernebant vſu prolatæ & expressæ, qualis illa Bionis Philosophi, πάντες κακίας μητρόπολις ἡ Φιλαργυρία, id est, Auaritia omnis improbitatis est Metropolis: & illa Timonis, Duo sunt malorum elementa, ἀπλησία ἡ Φιλοδοξία, id est, inexplebilis opū auiditas, & gloriæ appetitio. Huc etiam pertinet Senarius ille Menandri, νανὸν μέγισον τὸν βροτοῖς ἀπλησία, id est, malū maximum inter homines est inexplebilis habendi cupiditas. Et Iuuenal is Satyr. 14.

*Inde ferè scelerum cause. nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sapius ullum
Humanæ mentis vitium, quam saua cupido
Indomiti census. Nam diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri. Sed quæ reverentia veri,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis auarii?
Quibus addi potest & illud Virgilianum,
Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?*

Et sanè ex hac scaturigine oriūtur quotidiè innumeræ fraudes, fallaciæ, periuria, circunuentiones, rapinæ, lites, ódia, beneficia, crudelitas, cædes, bella, denique omnes ferè nocendi artes. Nihil sani suadet auaritia, sed ad omnem iniustitiam & iniquitatem homines impellit, iuraq; omnia diuina & humana violare cogit: eosdem omni humanitate spoliat, atque in feras rapidas & crudelissimas transformat. Cuius rei luculentissimum testimonium & exemplū habemus in historia, quæ hoc libro, quæ iam primum Latinè edimus, continetur,

P R A E F A T I O A D L E C T O R E M .

in quo crudelitates immanissimæ, ab Hispanis & alijs, quorū
in eo fit mentio , aduersus miseros illos Indos occidentales
perpetratæ describuntur, quarum atrocitas tanta fuit, vt qui
talia commiserunt, Leones potius aut Tigrides , fuisse dicas
quām homines. Nulla enim diuini numinis aut fidei suæ ho-
norisq; habita ratione, eo sœvitiae ac tyrānidis progressi sunt,
vt totum illum orbem nuper repertum , nō tantum latroci-
nijs & populationibus, sed & incendijs , suspendijs , cædibus
promiscuè virorum , mulierum & infantium repleuerint,
nec ullum tormenti genus omiserint , quod non in miseros
illos homines exercuerint. Quæ omnia , sola illa insatiabili
cupiditate & avaritia ducti perpetrarūt. Quod & Indi aliquā
do iis summa cum ignominia exprobrarunt. Quosdam e-
nim Hispanos captos , reuinctis manibus pedibusq; in terrā
proiecerunt; mox auro in osiacentis infuso dicebant, Ede,
ede aurum Christiane. Sed et eò insaniæ tandem Christiani
ab illa peste dementati deuenerunt, vt in mutuas cædes per-
fidè & crudeliter sœvierint, bellisq; ciuilibus sese inuicē con-
fecerint. Vnde facile est iudicare, quo iure glorientur illi se-
nouas illas terras adiisse, easq; conquisiisse , vt Barbaros fidē
Christianā viamq; salutis edocerent. Deus autem opt. Max.
quem nihil latet, qui que nullum facinus & flagitium occul-
tum sinit , sed omnia suo tempore ad maiorem impiorum
confusionem & ignominiam, & in aliorum exemplum in lu-
cem producit , sœua quoque tyrannorum illorum facinora
& flagitia silentio tecta & sepulta manere noluit: Sed Bar-
tholomæum de Casis episcopum libri huius authorem sus-
cituauit, qui ea in eorum ignominiam & opprobrium sem-
piternum manifestaret, & in publicum efferret. Cum enim
bonus ille vir animaduerteret, nullas monitiones aut repre-
hensiones apud illos tyrannos in India quicquam ponderis
habere, ipse met in Hispaniam transfretauit , ac Illustrissimo
Principi Philippo Cæsareæ Maiestatis Caroli V. felicissimæ
memo-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

memoriæ filio , ea quæ partim oculis suis viderat, partim ab alijs etiam de suis facinoribus gloriantibus audierat, nō tantum verbis, sed & scripto exposuit. Vnde commota ipsa Cœfarea Maiestas statim remedium tantis malis adhibendum censuit, eumq; ordinem rebus Indicis constituit, vt ab eo tēpore tyrannis illa & sœvitia aduersus barbaros parumper rēpressa, atq; illa natio à dura illa & intoleranda seruitute quodammodo liberata, aut saltem subleuata fuerit. Scriptum autem illud Bartholomæi episcopi quod Ill. Principi obtulit, iam anteà Seuiliæ Hispanico sermone, & postea alibi tū Gallico, tum Belgico, & tādem Germanico idiomate excusum , nos nunc primum Latino sermone edendum curauimus, vt quilibet, ex quacūq; natione & gente is fuerit, in hoc libro tanquam in Speculo contemplari queat, quām tetros, horrendos & perniciosos fructus hæc infelix malorū omniū radix, nempe auaritia, producat; atq; inde eam magis ac magis abominari discat, camque ex suo pectore penitus extirpare conetur. Nullus enim est, qui vbi suam conscientiam seriò examinare voluerit, hanc pestem in sinu suo latentē non reperiat: quodq; magis dolendum est, in ea tempora incidimus , quibus hæc pestis pro peccato & vitio vix à quoquam habetur: cum tamē eam Paulus & idolatriam esse & nos à regni Dei hæreditate excludere pronunciet. Quod si ea libertate & licentia frueremur, quam Hispani in India sibi usurparunt, nec ullus superioris Magistratus metus nos in officio cōtineret, haud dubium est, quin nulla in parte sœvitiae, crudelitatis, inhumanitatis & iniustitiæ Hispanis illis cederemus. Quod & quotidiana exempla eorum, quæ vulgo & passim fiunt, satis confirmant. Quare nisi pœnitentiam egerimus, verendum est, ne tandem Deus iustissimus Iudex ob hanc nostram inexplebilē auaritiam nos in reprobum sensum coniiciat, nosque Satanæ & eius Angelis tradat, qui non aurum liquefactum, sicut Hispanis accidit, sed picem & fulphur

PRÆFATIO AD LECTOREM.

phur tartareum nobis infundant, nosq; in stagnum ardantis
ignis in æternum præciitēt. Quod à nobis omnibusq; veris
Christianis per suam, atiam & misericordiam auertat Deus Opt. Max. Cæterum ad superiorem rationem, quam ad-
duximus, propter quām hoc opus in Latinum sermonem
vertendum & publicandum censuimus, hæc etiam accedit,
quòd plurimum solicitati ac rogati fuimus, vt ipsum figuris
& iconibus ornaremus & illustraremus, quibus superiores
editiones caruerunt, & sine quibus hoc opus quodammodo
imperfectum esse videtur. Eas autem huic editioni adieci-
mus ita diligenter & artificiose elaboratas, & ad viuum effi-
ctas, vt ex earum contemplatione quiuis tantum non in rem
præsentem adduci queat, quod & lectoribus non mediocre
historiæ intelligendæ adiumentum, nec non & honestam
voluptatem allaturum confidimus. Omnes autē summope-
re rogatos volumus, vt sibi persuadeant, nos in nullius gentis
vel nationis odiū aut fauorem ex priuato aliquo affectu hoc
opus edere, sed in publicum commodum & emolumētum.
Bonos enim & malos homines in quauis gente & regione
esse & reperiri (quanquā bonos mali numero semper supe-
rāt) nec vitia quorundam toti genti esse imputanda scimus:
Hisce finem faciemus, teq; beneuole lector, Deo omnipo-
tentι commendabimus: quem & orāmus, vt tibi spiritum
suum sanctum largiatur, qui mentem tuam illustret, quòd hāc
historiam ita legere possis, vt non tantum Hispanorum vitia
in ea animaduertas & detesteris, sed & malorum illorū om-
niū causam & fomitem in te quoq; esse agnoscens, tua ipsius
consideres & expendas, atq; ita Deum tanto ardentius pro
impetranda peccatorum tuorum remissione quotidie pre-
ceris per Iesum Christum Dominum nostrum,
cui sit honor & gloria in secula
seculorum. Amen.



COMPENDIOSÆ IVIVS NARRATIONIS ARGUMENTVM.

FARM rerum, quæ in America diuersis regionibus gestæ sunt, ab eo tempore, quo non sine miraculo America reperta est, & detecta, ab Hispanisq; culta, & habitata, usq; in præsentem diem, tanta est magnitudo, ut omnem eorum, qui non adfuerunt, fidem superare, omnisque aui rebus, quantumuis bene gestis, te nebras offundere, easque aeterno silentij tumulo sepelire videatur. Neque verò sanguinolenta illæ hominum innocentium carnificina; urbium destructiones, & incendia; prouinciarum deuastationes; Regnorumque deplorabilis ruina, minori, quam reliqua admiracione, animos rapiunt. Quæ ad aulam accedens Bartholomæus de las Casas, vel Casaus, ex monacho ad Episcopalem dignitatem eleuatus, ut Imperatoriam Maiestatem, tanquam oculatus testis, harum rerum certiorum redderet, multis talium nesciis, & ignaris, narrauit. Qui quidem importunis multorum precibus sollicitatus, breui scripto, quæ vidit, posteritati reliquit. Cum autem aliquot annis elapsis cerneret multos omni humanitate, & sensu destitutos, qui sua auaritia, & ambitione hominis nomine indignos se præbebant, iterum (nondum contentitanti malis & calamitatibus, quibus in destruendo toto hoc orbe usi erant) conari Regi persuadere, ut eius consensu, & approbatione, eandem facinorum viam aggrederentur: consultum illi visum est, compendiosam hanc, quam iam ante a scripsérat, narrationem Principi Domino nostro offerre; qui auctoritate sua efficeret, ut defensione; & expressa Imperatoris prohibitione improba illorum intentio reprimeretur. Ut autem facilius legeret sua Celsitudo, hunc libellum tradere typographo expedire existimauit. Et hac est causa, & ratio, cur in lucem prodire hanc breuem narrationem voluerit.

2 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M
PROLOGVS FRATRIS
BARTHOLOMÆI DE LAS
CASAS, VEL CASAI, EPISCOPI: AD
• Illustrissimum, & Potentissimum Hispaniarum Princi-
pem Philippum Dominum nostrum.



VM ita sit (Illustrissime, & potentissime Princeps) ab Omnipotentis Dei prouidentia, ita constitutum mundum fuisse, ut ad utilitatem totius generis humani Reges essent, qui Regnis, & Prouinciis dominarentur, quique populi patres & pastores (sic enim eos Homerus nominat) & per consequens nobiliora, generosiora q̄, totius Reipub. membra existerent: bona Regum voluntas ius suum cuig, tribuendi in dubium meritò reuocari non potest. Quod si iniuriarum, que in Repub. s̄p̄ committuntur, castigatione non fit, & debita correctio errorum & abusuum, inde procedit, quod cognitio adeos non perueniat: alioquin procul dubio omni diligentia, & studio legitima remedia quererent & adhiberent. Quod testari videtur in suis proverbiis Salomon, cum dicit: Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. Hoc enim de nativa, & naturali Regis virtute existimandum est, solam cognitionem mali, quo eius Regnum premitur, sufficere (cum ne per minimum temporis momentum ferre, aut tolerare posset) ad integrum illius restitutionē, & liberationem.

Apud me igitur considerans (Potentissime Princeps) perditio-
nem, mala, & damna (qualia vix ne imaginatione quidem complecti, ab
hominibus patrata esse, possumus) tam multorum, amplorumque Regno-
rum, que nouis Indiarum mundus, meritò nuncupantur; que à Deo, eius-
que Ecclesia; ut illorum gubernacula tenerent, ad fidem conuerterent, eo-
rumq; tam in temporalibus, quam spiritualibus prosperitati studerent.
Castella Regibus commissa, & commendata fuerant: Cum, inquam, ego,
spacio quinquaginta annorum, quibus in viuis egi, non mediocrem ade-
ptus experientiam, hac mala, que dum in illis regionibus versarer, ipsi-
aculis

œulis vidi, diligenter apud me perpendo, nec lingua, nec calamo ita imperare possum, quin Celsitudinem Vestram de aliquibus rebus particularibus monitam faciam, certioremq; reddam, ut illis commota, & incitata, studiosas feruentesq; preces sua Majestati fundat, ne his tyrannis ad eas, quas conquistuerunt, terras (conquisitas enim volunt, regressus, ut sperant, concedatur, cum conqueritiones istæ per se iniquæ sint: præsertim vero, contra hanc Indicam gentem, quæ pacifica est, humilis, benigna, & neminem ledens iniusta, tyrannica, omniq; iure tam diuino, quam humano damnatæ existant. Quare ne illa in me caderet culpa ob reticentiam & silentium infinitæ, cum corporum, tum animarum, mihi cognitæ perditonis, consultum & æquum mihi visum est, illorum quædam gesta, à me, ex infinito numero, proximè præteritis diebus selecta, typis mandare, ut maiori commoditate, & minori labore eorum lectioni Celsitudo Vestra incumbere queat.

Et quamvis Archiepiscopus Toletanus Celsitudinis Vestra pædagogus, cum esset Episcopus Carthaginensis sibi à me concedi petijset, obtulissetq; Celsitudini vestra, timens tamē ne variis terra mariq; suscepisti itineribus, Regijsq; negotijs, quibus continuò præpeditur, distenta, illorum vacare lectioni non potuerit, vel tradiderit obliuioni: & crescat interea inordinatum, & temerarium eorum desiderium, qui omne ius ludibrio habentes, effusi humani sanguinis stillantibus riuis delectantur, & amplissimis his regionibus naturales incolas, & possessores infinita cœde eripere, thesaurisq; immensi pretij priuare, flocci faciunt: cum, inquam, tyranni isti omnibus modis, & coloratis, fucatis uerationibus sua petitio ni insistant, ut sibi permittantur, & concedantur istæ, quas vocant, conqueriones, quæ salua lege naturali & diuina, & sine maximis peccatis mortalibus, quæ horrenda, & aeterna supplicia mereantur, concedi, & permitti nullo modo possunt, consultum esse existimauit compendiosam hanc narrationem, ex ampla, quæ de cœribus, & damnis huic regioni illatis, scribi & posset, & deberet, historia decerpere, & Celsitudini vestra offerre. Omni autem humilitate Celsitudinem vestram rogo, ut eam Regia illa clementia, & benignitate, qua suscipere

4 CRVDELITATES HISPANORVM

confueuit eorum opera, qui omnes suas vigilias, omnesque labores eò con-
ferunt, ut bono publico, statusq; Regij prosperitati inserviant; & recipere,
& legere non dignetur. Qua perfecta, & iniquitatis atrocitate, qua
contra innocentissimos hos homines committitur, mille cruciatibus eos
cædendo, & laniando, nulla pugnante ratione, præterquam auaritia, &
ambitione eorum, qui horrenda hac sclera patrant, non dispiceat C. V.
precibus efflagitare, & facto ipso Maiestati sua & persuadere, ut omnibus
tam damnosis, & detestandis precibus incumbentibus suam authorita-
tem deneget: immo ut terrorem omnibus incutiens, edicto prohibeat, ne
ullus de eare verba facere deinceps audeat; ut iniusta hæc petitio infer-
nalibus, & æternis silentij tenebris circumfusa teneatur. Quæres, Po-
tentissime Princeps, expedite, & est omnino necessaria; ut Deus prosperum
florentemque, tam in spiritualibus, quam temporalibus, statum Regie
buic Coronae Castellanae concedat atque largiatnr.

INDIA-

IN INDIIS PATRATAE.

INDIARVM DEVASTATIO-
NIS, ET EXCIDII BREVISSI-
MA NARRATIO.

ANNO millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo India inuenta & detecta; anno sequenti ab Hispanis habitata est, ita ut multitudo quædam Hispanorum ab hinc quadraginta nouem annis eò profecta sit. Primò autem ad Insulam Hispanicam appulerunt, quæ quidem fertilissima est, & propter amplitudinem & longitudinem, ut quæ sexcenta milliaria in circuitu habeat, hoc tempore celebris. Vnde quaque autem circuitur penè innumeris insulis, quas & populo, & naturalibus incolis ita refertas vidimus, vt vix in toto terrarum orbe regio tam multis habitatoribus munita, reperiri possit. Terra autem firma, quæ ab hac insula ducentis quinquaginta, & paulò plus, milliaribus distat ultra longitudinem decem millium milliariorum, circa littus maris, protrahitur, quæ quidem terræ iam repertæ sunt, & plures, procedente tempore, deteguntur: tanta autem multitudo has regiones incolit, & habitat, vt ibi ab Omnipotente maior pars generis humani congregata, & conuocata videatur.

Infinita autem hæc hominum multitudo ita à Deo creata est, vt simplicitate gaudeat, astutiæ, calliditatis, & malitiæ omnino expers sit, & inimica, naturalibus dominis obedientissima, & fidelissima; erga ipsos verò Hispanos, quibus & inseruit, & subdita est, humilis, patiens, & pacifica existat; denique ut reiectis litibus & motibus, remotoque odio sine vindictæ cupiditate viuat.

Hic populus delicatissimus est, & tenerrimus, eiusq; est tam debilis, & inæqualis temperies, vt laborem tolerare non queat, paucisq; annis, quocunq; tandem morbo, vitæ finem imponat,

CRUDELITATES HISPANORVM

ita ut ipsi Principum, & Dominorum liberi, qui hic apud nos in delitiis, omni^{que} rerum affluentia nutriuntur, illorum etiam agricolarum natis delicatores, & teneriores non existant. Hæc gens est pauperrima, & maximè indigens, pauca possidens, bonis temporalibus non inhians, idcirco nec superba, nec ambitiosa. Tali verò cibo vicitat, vt Sanctorum Patrum in eremo vietus magis parcus, minusq[ue] delicatus haud extiterit. Nuditate, solis verendis tectis, pro vestimento vtitur: stragula villosa, quæ est vnius vlnæ longitudinis, vel tela, quæ est ad summum duarū, illi est loco maximi & calidissimi tegumenti. Tegeti vero incumbit, & quibus pinguior est fortuna, retia in quatuor angulis, nodis alligata, pro lecto sunt, quem suo idiomate Insulæ Hispaniolæ habitatores Hamecas appellant. Ingenio subtili, & docili hi homines præditi sunt; gens est docilis, & omnis bonæ doctrinæ capax, & ad sanctam nostram Catholicam religionem suscipiendam aptissima; neq[ue] etiam inhabilis ad bonos mores, vt quæ non tam variis, quam reliquum hominum genus, impedimentis, distrahitur: ita vt, vel primis labris, fidei, vt ita dicamus, rudimentis degustatis, tanto desiderio & feroce ad exercitium Sacramentorum Ecclesiæ, & seruitij diuini, feratur, vt ipsis religiosis ad tantos impetus sustinendos, maxima, & singulari patientia opus sit. Et vt finem imponam, scepe Hispanos (qui bonam, quam in illis cernebant naturam; negare non poterant) hoc proprio ore proferentes audiui; nempe ad vitæ summam beatitatem, in illis solam Dei cognitionem requiri.

Ad agnos autem tam lenes, & dictis qualitatibus ab Omnipotente dotatos, vt tygres, lupi, & loones crudelissimi longa fame oppressi, Iberi accesserunt, nulli rei ab hinc quadraginta annis incumbentes, præterquam cœdibus horum miserorum, quos diuersis tormentorum generibus ab ullo antea nec visis, nec auditis (quorum aliqua pars inferius describetur) tam inhumane & crudeliter lacerant, & dilaniabant, vt ex tribus millionib.
quos

quos, sola Hispaniola Insula capiebat, iam ex naturalibus incolis vix restent trecenti. Cuba verò Insula, quæ in eandem longitudinem, qua Valladolid à Roma protrahitur, iam deserta, & inculta, in ruina iacet. Insulas Sancti Ioannis, & Iamaycæ, quarum utraque & ampla est, & fertilis, desertas & desolatas conspicere licet. Lucayæ autem Insulæ ex ea parte, quæ Septentriō nem respicit, Hispaniolæ & Cubæ vicinæ, quæ sexaginta sunt numero, vel circiter, cum Insulis, quæ vulgo Gigantum appellantur, & aliis, quarum, quæ infertilior est, horto Regio Hispanensi, fertilitate præstat, non sine maximo, & salubri aëris temperamento, iam omni habitatore vacuae cernuntur: cum tamē ultra quingenta millia hominum in his regionibus (accedentibus Hispanis) vixerint, partim cœde sublati, partim vero vi extacti, ut in fodinis Hispaniolæ Insulæ, quæ sine naturali habitatore manserat, laborarent. Nauis quædam has Insulas visitans, ut facta segete, residuæ spicæ (nam probus aliquis Christianus pietate, & misericordia motus, ut alias animas ad Christi cognitionem attraheret, tam periculosem iter suscepere) coligeretur, vnde decim tantum homines, quos ipse vidi, reperti sunt. Aliæ plus quam triginta numero Sancti Ioannis insulæ confines, omni populo spoliatae sunt. Quæ omnes insulæ duorum millium milliariorum longitudinem superant, & tamen omni populo, incola, & habitatore populatae iacent.

Quod verò ad terram firmam attinet, certi sumus, & pro comperto habemus, inhumanis & execrandis suis factis decem Regna maioris amplitudinis, quam sit tota Hispania, sub ea etiam comprehensis Arragoniæ, & Portugaliæ Regnis; id est ultra mille millaria Hispanos expopulasse, & omni populo, & habitatore priuasse, quæ præsenti adhuc die deserta, & ad depolorandam ruinam (cum antea vix regio vlla maiori incolarum numero abundarit) reducta cernitur. Nos autem pro certo affirmare audemus iis quadraginta annis, quibus cruentam, & detestandam

8 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

standam suam tyrannidem in ijs regionibus exercuerunt Iberi, iniustè, vltra duodecim (computatis tam viris, quām fœminis, & pueris) milliones hominum fato functos esse: Neque verò parcere me veritati existimarem, si vltra quinquaginta milliones hominum naturæ debitum persoluisse, dicerem.

Qui ex Hispaniæ remotis oris, ad has Insulas appulerunt, quique Christianos se esse iactitant, dupli præcipue via, ad extirpandam & tollendam hanc nationem de facie terræ, processerunt. Quarum prior est iniustum, cruentum, & sanguinolentum, quo vñi sunt, bellum. Altera, quòd omnes eos de medio sustulerint, qui vel adhuc aliquid libertatis respirarent; vel qui resecatis, tam iniquè captiuitatis, vinculis, pristinam libertatem recuperare (quod quidem potentiores, viri q; strenui, & fortis animo voluebant) decreuissent: illis enim bello sublatis solas fœminas, & pueros hac aura frui patiebantur; quibus postea tam suaue iugum imponebant, vt bestiarum non sit deterior conditio. Ad quas duas impiæ tyrannidis species, tanquam subalterna ad genus, reliqui, & infiniti modi quibus ad extirpationem, & desolationem huius populi vtuntur, reduci, & reuocari possunt.

Ad destructionem autem & desolationem innumeri istius populi, solum aurum Hispanorum, vltimus finis, & scopus fuit; & vt exiguo tempore ditati, ad status, & dignitates, quæ personis nullo modo congruebant, tanquam vnico saltu, peruenirent. Denique, vt vno verbo dicam, illorum auaritia, & ambitione, quæ vix maior excogitari posset, harumque regionum incredibiles diuitiæ, incolarumque humilitas, & patientia (quæ aditum ad has terras faciliorem reddebat) huic rei ansam præbuere. Quos tanto contemtui habebant, vt eos (de ijs, quæ præsens vidi, omni mendacio seposito, loquor) non vt bestias, hoc enim peroptarē, sed vt abiectissimū terræ simū tractarent. Sicq; de illorū anima, & vita solliciti fuerunt, vt supradictus numerus omni

IN INDIIS PATRATAE.

omni fide, sacramentisq; priuatus, vitam cum morte commutari. Et hoc non minori veritate, quam præcedentia, nititur (quod nec ipsi tyranni, & carnifex, sine mendacij nota, negare possunt) ab Indis Iberos nulla ynquam iniuria affectos, sed potius tanquam de cœlo demissos, eos coluisse, quousq; infinitis iuriis, violentisq; tormentis, & suorum iniusta cœde lacestati, ad arma concurrere coacti sunt.

De Insula Hispaniola.

IN hac Insula, ad quam primò Hispanos appulisse diximus, cruentæ cœdes & hominum perditiones principia duxere: fœminas enim, & pueros Indis eripiebant, vt sibi inferuiren, & eorum opera male vterentur; eorum autem victimum magno sudore, & labore partum consumebant, eo non contenti, quem ynusquisque secundum suæ facultatis vires, quæ semper perexi-guæ sunt (necessaria enim tantum ad vitam reiectis superfluis, domi asseruant) gratis dabat, ynica autem die, quæ ad trium familiarum, quarum vnaquæq; decem personas caperet, alimen-tum vnius mensis, sufficeret, Hispanus vnu absumebat. Et sic his malis fracti, tantisq; afflicti tormentis, & violenta tractatio-ne, tales homines è cœlo non esse missos, cognoscere cœperūt. Et idcirco alij cibos, alij suas fœminas, & liberos in latebris ab-scondebant: alij verò, vt gentem tam duræ, & terribilis conuer-sationis fugerent, prærupta montium quærebant. Iberi autem non solùm colaphis, pugnis, & sceleratis baculorum ictibus eos excipiebant; sed etiam violentas manus in gubernatores ciuitatum inijcere non verebantur. Et hæc eò temeritatis, & impuden-tiæ deuenerant, vt quidam Capitaneus, totius Insulæ poten-tissimi Regis fœmina vi abuti ausus sit. A quo tempore cogitare cœperunt, quibus modis & rationib. Hispanos regione sua pel-lerent; armaq; incontinenti suscepere. Sed quæ arma Deus bo-ne: ea scilicet, quæ maiorem habent similitudinem tam in of-

B fensione

10 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M
fensione, quam defensione, cum puerorum qui certant arundi-
ne, lusu, quam cum armis virorum.



Quod cernentes Hispani generosis equis insidentes, gla-
diis, & lanceis benè instructi, sanguinolentis suis stragibus, &
stratagematibus initium fecere; ciuitatesque & pagos percur-
rentes, nulli ætati, aut sexui, ne fœminis quidem puerperis pe-
percere,

percere, quin ventre aperto viuas in frusta discerperent. Pignoribus positis simul certabant, quis vnico ensis iectu hominem medium aperiret, vel discinderet, vel quis maiori dexteritate corpus hominis capite priuatum, truncum relinquaret, aut certè quis maiori industria mucronem visceribus adiogeret.

Infantium, pedibus ex matris mammis arreptorum, innocentia capita rupibus conquassabant: alios, non sine scommatibus in flumina proijciebant; cadentiaq; in aquam corpora, irrisione suæ crudelitatis & inhumanitatis teste, ad motum inuitabant: alios vnâ cum matribus ensium inhumannis mucronibus exponebant.

Certa patibula erigebant, lata quidem, sed ita demissa, vt pedes terram ferè attingerent, quorum vnumquodque tredecim personis in honorem, & reuerentiam, vt dicebant, nostri Redemptoris & eius Apostolorum, destinatum erat, quibus igne imposito illis affixos, in cineres viuos redigebant. Quos verò vitæ superesse volebant eos semiscissis, & pendentibus manibus dimittebant; cum hac fugæ exprobatione: Nuntias has ferte litteras ijs, qui latitantes in montibus nos fugiunt.

B 2 Hac



Hac morte communiter Dominos, & Nobiles mulctabant. Perticis furca suffultis craticulas struebant, paruoq; igne supposito, hi miseri paulatim, animam, magnis clamoribus, tormentorumq; desperatione, efflabant.

Vidi aliquando quatuor, aut quinque ex potentioribus Dominis, his craticulis impositos torrei; & non procul duę, vel tres aliae craticulæ, ijsdem mercibus instructæ visebantur; cum-
que ma-

que magni, qui ibi audiebantur clamores, Capitaneo essent molesti, quietemq; eius impedirent, eos laqueo tolli, & strangulari iussit. Spiculator, (cuius nomen mihi est notum, nec minus incogniti Hispali parentes) quo minus id fieret, prohibuit, sed ori impositis epistimijs, ne illorum exaudirentur clamores, ipse met ligna struens, adfuit, quousque ad placitum tosti, animam efflarent. Harum rerum, & aliarum innumerabilium, oculos habeo testes. Quia verò omnes, quibus data erat potestas, tam inhumanam gentem, ab omni pietate alienam, generisque humani extirpatricem, & inimicam, tanquam scopulos euitantes, in montibus latebras quærebant; canes venaticos, & crudeles, ita instruxerunt, ut primo visu, minimoq; temporis momento Indianum, tanquam porcum, deuorarent. Ab ipsis canibus hæ cœdes, & deuastationes patrabantur. Et quia quandoq; raro tamen, iusta æquitate moti Indiani, aliquos Hispanos cœdebat, inter se hanc promulgarunt legem, ut pro vno Hispano occiso, centum Indiani neci darentur.

De Regnis, quæ Insula Hispaniola, capiebat.

HÆc Hispaniola Insula quinque maxima Regna, totidemq; potentissimos Reges, capiebat, quorum Imperio reliqui ferè Domini, quorum infinitus erat numerus, parebant. Erant etiam quarundam separatarum regionum Domini, qui horum Regum, pro superiore, nullum agnoscebant. Horum Regnum vnum, Magua appellabatur, quod significat planitatem. Hæc planities res est, si vlla in toto orbe, memorabilis, & scitu digna: Nam à meridie ad Septentrionem, in octuaginta millaria porrigitur: latitudine verò quinque, octo, & quandoque decem complectitur: vndiq; autem altissimis montibus circumclusa tenetur. Illam alluunt ultra triginta millia fluuiorum, & riuulorum, quorum duodecim celeribus illis fluuijs Ebro,

14 CRVDELITATES HISPANORVM

Duero, & Guadalueir magnitudine non cedunt: Omnesq; fluuij, qui è monte ad Occidentem vergente (quorum numerus est viginti millium) oriuntur, auro sunt ditissimi. Quo monte, prouincia Cibao continetur, vnde, fodinæ Cibao; ex quibus prodit exquisitum illud, & purum, tantique apud nos nominis viginti quatuor caratarum aurum; nomen habent. Huius Regni Rex, & Dominus Guarionex vocabatur, qui sub sua ditione vasallos, & Dominos tam potentes habebat, vt eorum unusquisq; ad seruitium Regis Guarionex sexdecim millia militum adducere potuisset. Quorum Dominorum aliqui mihi noti fuere. Hic Rex erat obedientissimus, & non mediocri virtute praeditus, natura sua pacificus, & erga Castiliæ Reges deuotissimus: hic suis subditis mandauerat, & iusserat, vt eorum quisque tintinnabulum auro repletum daret; succedente verò tempore, cum satisfacere non possent, eo medio scisso, alteram partem implere iussi sunt, huius enim Insulæ habitatores feré nullam extrahendi ex fodinis auri industriam, aut experientiam habebant. Hic Cacicus obtulit se Regis Castellæ seruitio, ea conditione, vt illas terras, quæ ab Isabella, in qua prima mansionis suæ habitacula fixerant Hispani, ad Sanctum Dominicum in longitudinem quinquaginta milliarium extenduntur, coli curaret: dicebat enim, nec veritati illius sermo repugnabat, suos subditos non habere usum & practicam auri fodiendi. Quibus promisis, & facilè, vt scio, & alaci animo, stetisset, & inde ex anno reditu ultra coronatorum Castellanorum, tres milliones, Rex percepisset, & iam, in illa Insula quinquaginta vrbes, Seulia ampliores, cernere liceret.

Sed qua compensatione, & remuneratione erga hunc tam clementem, & benignum Regem usi sunt? ea scilicet, vt eum, summa infamia, in persona coniugis, ab Hispano Capitaneo Christiani nominis indigno, violatae, afficerent. Potuisset quidem, & tempus, & opportunitatem vindictæ sumendæ, militem

Item conscribendo expectare: sed abscondere se; & Regno, & statu, in prouincia De los Ciquayos (in qua potens quidam eius vasallus, & subditus habitabat) exul & viuere & mori elegit. At Hispani de eius absentia certiores facti, latebris amplius locum non dedere, sed illato bello, illi, qui eos tam humaniter suscep-
rat, deuastata omni regione eum repererunt, & cœperunt; qui vinculis, cathenisq; alligatus, nauj, vt in Castellam captiuus du-
ceretur, impositus est: in itinere autem nauis perijt, cum qua
multi Hispani submersi, & magnum auri pondus; & inter hæc
magnum auri granum, crasso pani simile, habens in pondere
3600. coronatos: ita Deo de enormibus illorum sceleribus, vin-
dictam sumente.

Aliud Regnum Marien appellabatur, in quo est hodie portus in vltima planitiei extremitate, qua Septentrionem re-
spicit: estq; Regno Portugaliæ & amplius, & fertilius; dignum certè, quod frequenti habitatore incolatur; montibus enim ab-
undat, auriq; & orichalchi fodinis diues est. Regi nomen erat Guacanagari, cui multi potentes Domini, quorum aliquos no-
ui, parebant. Ad hanc regionem primus, senex Thalassiarachus appulit, cum Americam detexit, qui tam humaniter, & benignè à dicto Guacanagari receptus est, & tractatus cum omnibus Hispanis, quos nauigationis suę comites assumpserat, illis omnē opem, & auxilium ferendo (ibi enim Thalassiarachi nauis vndis absorpta fuerat) vt ex ipsius ore audiuerim, se ab ipsis parentibus, in propria patria, blandiūs accipi non posse. Hic Rex cœ-
des, & crudelitates Hispanorum fugiens, statu suo priuatus, in montibus obiit. Reliqui verò dynastæ, eius subditi, in ea ser-
uitute, & seruitio, quod postea recensebitur, ex hac vita emi-
grarunt.

Tertium Regnum erat Maquana; regio etiam admiran-
da, sana, & fertilis, vbi hodie melius saccarum totius Insulæ con-
ficitur. In ea regione tunc temporis regnabat Caonabo, qui
reliquos,

16 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

reliquos, potentia, statu, grauitate, & ceremonijs, quæ in eius seruitio adhibebantur, superabat. Hic Rex, cum nihil minus suspicaretur, magna subtilitate, & industria ab Hispanis in ædibus proprijs captus est. Eum postea naui impo-
suerunt, vt Castiliam duceretur, sed cùm in portu sex essent na-
ues vela ventis dare paratæ, pontus tantis procellis agitari cœ-
pit, vt hæ omnes, cum ijs, quos capiebāt, Hispanis, absorptæ cum
ipso Rege Canabao cathenis onerato, fuerint: in quo Deus æ-
quo suo iudicio ostendit, non minus esse in hoc facto iniquitatis,
& iniustitiæ, quæ in præcedentibus. Huic Regi tres, aut qua-
tuor fratres erant, viri strenui, qui iniqua fratri, & Domini ca-
ptiuitate offensi, auditis deuastationibus, & cœdibus ab Hispa-
nis, in alijs regionibus patratis, intellectaque paulo post fra-
tris morte; vt ab hostibus vindictam sumerent, arma suscep-
tere, quibus occurrentes Iberi certo equitum numero (qui
vel maximè Indianis offendiculo sunt) tantam stragem edi-
derunt, vt media pars huius Regni, deuastata, & depopula-
ta fuerit.

Xaraqua



Xaraqua quartum Regnum est, quasi centrum, & medium totius Insulæ; in diserto sermone, & eloquenti idiomate par ex cæteris Regnis non habet; in politia verò, & bonis moribus, reliquis excellit. In eo maxima erat Dominorum, & nobilium copia, & ipsa plebs statu, habituq; corporis præstabat. His Behechio Rex erat, qui sororem Anacaona nomine; habebat. Vterque & frater & soror, Hispanos insignibus beneficijs afficiens,

C & ex

18 CRVDELITATES HISPANORVM

& ex euidentibus mortis periculis liberans Regibus Castellæ magna seruitia præstiterat. Mortuo Behechio summa Regni penes Anacaonam remansit. Quadam autem die accidit, vt Insulæ gubernator sexaginta equitibus, & trecentis peditibus comitatus (equites autem soli sufficiebant, non solum ad deuastandam Insulam, sed etiam totum terræ continens) trecentos circiter dynastas, ad se vocauerit; quorum potentiores fraudulenter, & dolosè in domum stramineam conuocatos comburi, cæteros verò, cum infinito populo lanceis, & ensium mucronibus morte mulctari, iussit. Et ipsam Anacaonam, penes quam, vt dictum est, summa erat Imperij, vt maiori eam honore dignaretur, laqueo vitam finire coëgit. Quod si accideret, vt aliqui vel misericordia, vel auaritia moti, pueros pro asseclis retinentes, ne occiderentur, equis imponerent, alter succedebat, qui à tergo eos transfoderet, vel si in terram deciderent, cruribus priuaret. Cum autem Indianorum aliqui, qui inhumanæ huic stragi supererant, in Insulam, quæ inde octo milliaribus distat, se recepissent, quòd lanienam fugerent, ad perpetuam seruitutem à gubernatore damnati sunt.

Quintum regnum vocatur Hiquey, cui senio confecta Regina, Hiquanama nomine, quam Hispani in crucem sustulerunt, præsidebat. Eorum, quos hic viuos vidi concremari, membratim discerpi, varijsq; tormentis torqueri, & illorum, qui ex tantorum malorum reliquijs, viui in captiuitatem ducebantur, infinitus est numerus. Quia verò in horum populorum cœdibus, & deuastationibus, tam varia dicenda forent, vt ea scriptis vix comprehendendi possint (nec puto ex millesima eorum, quæ dicuntur, parte, vnicam explicari) vnicum de bellis supra dictis, conclusionis loco, addam, & in conscientia affirmabo dictis omnibus iniquitatibus, & facinoribus, alijsque, quæ quamuis me non lateant, prætermissa facio, non maiorem occasionem Indianos dedisse, aut dare potuisse, quam præberent
probi

probi religiosi in monasterio benè reformato viuentes, sibi bona, aut vitam subripiendi; & cur illi, qui mortem euaderent, perpetua captiuitate, & seruitute detinerentur. Hoc præterea addo, me credere, & certis coniecturis assequi eo tempore, quo hæc omnia in hac Insula patrata sunt, Indianos, ne vnicō quidem peccato mortali, in Hispanos commisso, teneri, quòd hominum mereatur vltionem. Et quod ad ea peccata, quorum punitio Deo reseruata est, attinet, vt sunt vindictæ immoderata cupidio, odia, similitates, quibus in captales hostes, vt illis erant Hispani, ferri potuissent, existimo paucos de illis rebus, iustè insimulari posse; minorq; erat illis impetus, & vigor (expertus loquor) quam pueris decem, aut duodecim annorum. Et hoc certò scio Indianos semper iustum causam in Hispanos bella mouendi, habuisse; & Hispanos econtrà bellis neutiquam iustis cum illis certasse, sed iniquioribus, quam ullus vñquam tyranus gesserit. Quod de reliquis eorum in America & gestis, & factis affirmo.

Praeterea bellis, omnibusq; habitatoribus mortuis; iuuenib; fœminis, & pueris communiter reseruatis, eos inter se diuidebant; alteri triginta, alteri quadraginta; huic centum, isti ducenti dabantur, & quò quisq; Tyranno maiori, quem gubernatorem appellabant, gratior erat, eò plures obtinebat, tali colore, taliq; conditione, vt eos in Catholica fide instruerent; cum ipsimet, quibus tradebantur instruendi, & animarum cura demandabatur, pro maiori parte essent homines idiotæ, crudeles, auaritiæ dediti, & omnibus vitijs coinquinati. Talem verò eorum curam habebant, vt ad fodinas auri extrahendi, & fodiendi gratia, qui labor est intolerabilis, viros mitterent; fœminis verò ad agros colendos, qui labor, etiam viris fortibus, & robustis, molestissimus est, vtebantur. Illos autem herbis, & similibus rebus nullius substantiæ, alebant; atque ita in mammis puerarum lac siccabatur, & exiguo tempore, paruæ omnes creaturæ

20 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

interibant. Et quòd à viris fœminæ separatæ, illis non cohabitarent, proles nulla suscitabatur. Viri in fodinis fame, & labore vita priuabantur; fœminæ verò ijsdem fractæ malis & calamitatibus, in agris morte absu[m]ebantur. Et ita consumptus est, & exterminatus habitantium huius Insulæ, penè infinitus numerus; ijsdemq[ue] modis totius orbis incolæ de facie terræ, tolli possent. Onera etiam octuaginta & centum libraru[m] illis imponebantur, quæ per iter centum & ducentorum milliaru[m], ferre cogebantur. Hispanos etiam in pensili vehiculo, aut lectis in modum retiorum, ab Indianis confectis, ferebant; ijs enim, vt bestijs, ad transportanda onera, & itineris impedimenta, vtebantur; vnde accidebat, vt in humeris, & dorso, liuor, belluarum fatiguentium more, appareret maximus. Et quod attinet ad flagellorum, baculorumque iætus, colaphos, maledictiones, & mille tormentorum, quibus in ipso labore, torquebantur, genera; ad illorum narrationem nec multa temporis interualla, nec ad scribendum immensi papyri cumuli, sufficerent, at potius animos terrore consternerent.

Hic animaduertendum est, harum Insularum, & prouinciarum desolationem ab obitu Serenissimæ Reginæ Dominae Isabellæ, qui incidit in annum millesimum, quingentesimum quartum, exordiu[m] duxisse; antea enim istius Insulæ, paucæ prouinciæ bello iniusto deprauatæ, aut fœdatæ fuerant, nec generali, vt postea, deuastatione violatæ: atq[ue] hæc pro maiori parte, & ferè omnia Reginæ (cui Deus æternam concedat gloriam) celabantur, & præuelabantur, feruenti enim, & mirando zelo, desiderioq[ue] penè diuino in horum hominum salutem, & prosperitatem ferebatur; cuius rei exempla, quæ & oculis vidiimus, & manibus attigimus, in promptu habemus.

Sit etiam hæc generalis regula, nempe Hispanos, ad quamcunque Americæ oram peruenere, easdem crudelitates, strages, tyrannides, & abominandas oppressiones, in Indorum innocentissi-

nocentissimam gentem exercuisse; nouorumq; tormentorum generibus delectatos, in dies ad maiorem creuisse saevitiam, & crudelitatem: quibus commotus Omnipotens, multo maiori & periculosiori lapsu, in sensum reprobum eos labi permisit.

De Insulis Sancti Joannis, & Jamaycæ.

Anno millesimo quingentesimo nono, Sancti Ioannis, & Jamaycæ insulas (quæ hortis, & apum alueis erant persimiles) Hispani traiecerunt, eodem sibi proposito fine & scopo, quem in Insula Hispaniola propositum habuerant, infinita latrocinia, & supradicta facinora committentes, quibus inauditas crudelitates, cœdendo, vrendo, torrendo, & canibus homines expnendo, adiunxere & addidere: deinde verò eos miris oppressiōnibus, & tormentis in fodiis vexando, & affligendo, terram his innocentibus (quorum sexcenta millia, si non plura, hæ duæ Insulæ capiebant) priuarunt, & spoliarunt, ita ut hodie in unaquaque vix ducentos homines reperire liceat, reliqui sine fide & Sacramentis perierunt.

De Cuba Insula.

Anno millesimo quingentesimo vndecimo Insulam Cuba traiecerunt, quæ non minore longitudine, quam à Roma Valladolida distat, concluditur; in qua erant amplissimæ provinciæ, & multo populo incolebatur, in qua non maiori humilitate & clementia, imo multo maiori saevitia, & crudelitate processerunt. Multa notatu digna in hac Insula acciderunt. Cum Cacycus quidam, potens Dynastes, cui nomen Hathuey, qui paulò ante fugiendæ mortis, perpetuæq; captiuitatis, & servitutis gratia, ab Hispaniola Insula Cubam se receperat, à quibusdam Indianis Hispanos ad hanc quoq; aduentare intellexis-

22 CRVDELITATES HISPANORVM

" set, suis omnibus conuocatis hac oratione vsus est: Vos non la-
 " tet rumor de Hispanorum aduentu passim inter nos sparsus, &
 " experientia consecuti estis, qua tractatione, tales, & tales (eos
 " nominabat) & Hayti (sic sua lingua Hispaniolam vocant) inco-
 " las excepérunt, ad nos eadem patrandi animo se conferunt: sed
 " huius visitationis causa, & ratio vobisne est comperta? igno-
 " tam penitus, responderunt, eos tamen & crudeli, & scelerata
 " dotatos esse natura, se non ignorare: Hanc ergo habete, in-
 " quic: Quoddam adorant, & colunt auarum, nec paucis conten-
 " tum numen, atque vt illius adorationi, & cultui satisfacere pos-
 " sint, à nobis multa petunt, omnemque adhibent laborem, vt
 " nos sub iugum mittant, & neçi dare queant. Accepta igitur,
 " quam iuxta se habebat, capsula, auro mundisque referta, his
 " verbis vsus est: Iste est Hispanorum Deus, in eius honorem
 " (si placet) Arcytos (sunt quædam apud ipsos chorearum, sal-
 " tuumque genera) celebreimus; sicque illius numine placato,
 " Hispanis imperabit, ne vlla nos molestia, aut injuria afficiant,
 " qui vnanimi consensu, clara voce responderunt, Probè di-
 " cūm, probè dictum: Sicque coram hac capsula saltan-
 " tes choræis, antequam nimia lassitudine fatiscerent, finem non
 " imposuerunt: Tunc sermonem resumens dynastes Hathuey,
 " dixit: Si hunc Deum asseruamus, quo usque nobis tollatur, vi-
 " ta priuabimur, quare consultum mihi videtur, vt in flumen
 " eum abijciamus, quo consilio approbato ab omnibus, capsu-
 " la in vicinum fluuium abiecta est.

Quamprimum ad hanc insulam appulerunt Hispani,
 hic Cacicus, vt qui eos intus, & in cute, vt dicitur, norat, quan-
 tum poterat, evitabat, & fugiebat, seque armis, si quandoq; ob-
 uiā illi fierent, defendebat. Tandem captus, quod gentem
 tam iniquam, & crudelemp fugeret, vitamque contra eos, qui
 suam suorumq; mortem, quarebant, tueretur, viuus exustus est.
 Et



Et cum palo affixus esset, quidam monachus Ordinis S. Francisci, vir sanctus, ipsi aliqua de Deo, & nostræ fidei articulis verba fecit, quæ nunquam audiuerat, & quæ ad id tempus, quod à carnifice concedebatur, sufficiebant, illi æternam gloriam, & quietem, si crederet, sin minus æterna supplicia, promittens: Postquam Hathuey cogitabundus aliquandiu hæsisset, à monacho petijt: Vtrum etiam Hispanis cœlorum ianua pateret?

Cui

24 CRVDELITATES HISPANORVM

Cui respondentibus Hispanis patere: Cacycus, sine longiori deliberatione cœlum se nolle petere, dixit, sed potius inferos, ne eadem illi, cum hac crudeli gente, mansio communis esset. Et his laudibus, honoribusque Deus, & sancta fides, ab Hispanis in America afficiuntur.

Aliquando accidit, ut amplissimæ vrbis, quæ decem miliaribus ab eo loco, in quo eramus, distabat, ciues nobis obuiam honoris gratia procederent, cum ample commeatu, cibisq; delicatis, & huiuscmodi blanditijs, nobis quam maximam poterant piscium copiam adferentes, & distribuentes: ecce illico malo dæmone Hispanorum spiritus agitante, in tantum furorem versi sunt, ut me præsente, nulla intercedente causa aut ratione, ultra tria millia hominum tam virorum, quam foeminarum, & puerorum, internecione sustulerint. Tam crudelia, inhumanaq; facinora ibi me præsente & vidente, patrata sunt, ut nulla hominum ætas similia viderit.

Paulò post ad omnes Hauanæ prouinciæ Dynastas misi nuntios, ne vlo modo terrorerentur, aut in absentia, vel fuga refugium quererent, sed nobis occurserent, me illis promittere (qua enim essem in authoritate, sciebant) nulla iniuria affectos iri: præteritis enim malis, & cœdibus omnis regio maximè turbata erat, & hoc feci ipsorum Capitaneorum consilio. Cum ad prouinciam ventum est, viginti duo Dynastæ nobis obuiam processerunt, quos, data fidè violata, Capitaneus die sequenti, igni tradere voluit, expedire dicens hos, qui aliquando contra nos aliquo stratagemate usuri essent, è medio tolli: & sic ægrè, & difficulter igne eos eripui.

Indi huius insulæ, sub seruitutem, & calamitatem Hispaniolæ redacti, perire se & mori, sine vlo remedio cernentes, montes querere cœperunt, alij verò desperatione ducti, laqueo vitam terminarunt; coniunxq; vnâ cum coniuge & liberis se suspendens, his miserijs finem imponebat. Tyranni vnius Hispani

Spani (qui mihi non est incognitus) crudelitate, vltra ducenti Indi, voluntario suspendio vitam cum morte commutarunt: & sic hoc genere mortis infinitus hominum numerus perijt.

Cuidam in hac Insula in aliqua dignitate Regia constituto, pro sua parte obtigerant trecenti Indiani, quorum, præ nimio labore trium mensium spatio, centum sexaginta sublati sunt, ita ut decima tantum pars, id est, triginta, superfuerit, cum autem duplicaretur numerus, eos eodem modo necabat, & de omnium eorum vita actum erat, qui illi dabantur, quousq; tandem naturæ, & diabolo debitum persoluit.

Spatio trium aut quatuor mensium me præsente, obierunt vltra sex millia puerorum, quod parentibus, qui in fodinis lababant, priuarentur. Multaq; alia stupenda vidi.

Postea verò consilium ceperunt, eos qui in montibus latitabant, persequendi, quorum stupendas strages edidere, sicq; hæc insula desolata est: quam paulò post vidimus, & certè res est miseranda, hanc ita expopulatam, & desolatam cernere.

De Terra continent.

Anno millesimo, quingentesimo, decimo quarto, terram fir-
mam traiecit, infoelix quidam gubernator, crudelissimus tyrannus omni misericordia, & prudentia destitutus, instrumentum furoris Dei, eo consilio, vt multos Hispanos in has ter-
ras perduceret. Et quamuis ante hunc, aliqui tyraanni eò perue-
nissent, ibi q; multos varijs interencionibus crudeliter tractas-
sent, tamen solummodo maris oram, in qua mira furta, & latro-
cinia commiserant, attigere. Sed reliquis, qui in alijs Insulis ver-
sabantur, quantumuis execrandis, & abominandis, hic crudeli-
tate præstabat. Non solum populo littus maris spoliabat, sed
etiam maximas regiones, & amplissima Regna, suis cædibus
infinitū populi numerum ad Inferos mittens, funditus delebat.

26 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M.

Per multa millaria, suis excursionibus, grassabatur, in ijs scilicet terris, quæ Darieno, prouincijsq; Nicaraquanis includuntur, quæ sunt circiter quingenta milliaria terræ totius mundi fertiliſſimæ, in qua multi viuebant, abundabatq; pagorum, vrbium, & villarum numero, auriq; omnium huic vīque repartarum regionum erat ditissima. Quamuis enim Hispania obrizato Hispaniolæ auro resarcita effet, tamen fuerat tantum ab Indijs ex dictis terræ visceribus, & fodinis effossum, in quibus, vt dictum est, vitæ finem imposuerunt.

Hic Præses, cum suis, noua tormentorum, & crudelitatum genera, ad obtinendum, & extorquendum aurum adinuenierat. Quidam ex illius Capitaneis, in quadam excursione gubernatoris iussu ad deprædandum facta, ultra quadraginta milia personarum ensibus, igni, canibus, diuersisque tormentorum generibus, expositarum, morte deleuit. Quorum omnium, Ordinis Franciscanorum religiosus, nomine Franciscus de S. Romano, qui aderat, testis erit oculatus.

Maxima, & damnosa semper fuit eorum, qui Indijs præfuerunt (quod ad conuerzionem, & saluationem huius populi, attinet) cœcitas: effectu enim negligebant, quod fucato sermone præ se ferebant; & ore affirmabant, quod latente cordis lingua negabant: eoq; peruentum est, vt Indianis mandaretur, sub pœna cruenti, & sanguinolenti belli, mortis, & perpetuæ servitutis, vt fidem amplecterentur, & obedientiæ Castellæ Regis se submitterent; quasi Dei filius, qui pro omnium redemptione mortem subiit, lege cauisset, cum dixit: Euntes docete omnes gentes, vt infidelibus, pacificè, & quietè, & in hæreditaria & patria regione viuentibus, mandaretur sub pœna confiscationis omnium bonorum, terrarum, libertatis, coniugum, liberorum, & mortis, vt nulla præcedente instructione, Deum confiterentur, & agnoscerent, & obedientiam præstarent

rent Regi, quem neque viderant, nec de illo quicquam audiuerant; & cuius nuntij, omni humanitate destituti tam crudeliter se gerebant. Quod certè stultum est, & absurdum, omnique vituperio, & irrisione, imò ipsis inferis, dignum. Cum autem nefando huic, & iniquo gubernatori cura demandata fuisset executioni hæc dicta tradēdi, ut iustiora, & æquiora apparerent, erant enim per se iuri, & æquitati repugnantia: iussit (vel quibus demandata erat executio propria authoritate id agebant) ut cum desiderio tenerentur, vel propositum haberent, aliquem locum, in quo esset auri copia; Indianis in urbibus, aut dominibus, sine vlla mali suspitione degentibus, compilare, & eripere; improbi Hispani, ut latrones, ad aliquem locum, medio millari ab urbe, pago, aut villa distantem furtim accederent; & soli, noctuque edictum publicarent, & pronuntiarent hoc modo: Cacici, & Indiani huius continentis, talis loci, quem nominabant, habitatores: Vobis omnibus notum facimus, vnum esse Deum, vnum Papam, & vnum Regem Castellæ, qui harum terrarum est Dominus: statim accedite, & authoramentum lege clientelæ inite. Et sic quarta noctis vigilia, his miseris innocentibus somno oppressis, in eum locum, quem nominarant, igne in domos, quæ omnes erant stramineæ; immisso, irruebant, sicque viros, fœminas & pueros, ante quam animaduertarent, comburebant: illico, quos volebant, occidebant: quos verò captiuos detinebant, tormentis, vbi, quod domi non inuenierant aurum, abscondissent, fateri cogebant, qui verò vitæ supererant, serui, stigmate priùs notati, fiebant: extincto demum igne, ad aurum inueniendum, accurrebant. Ita igitur in hoc negocio se vir diris omnibus deuotus, gessit, cum malis Christianis, quos ab Anno decimo quarto, vñq; ad vigesimum primum, vel secundum, conscripsit, numeratis famulis, & satellitibus, à quibus tot recepit partes, ea dempta, quam recipere solebat, ex omni auro, vñionibus, & mundis, ab ijs acceptis, quos in seruitutem

28 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

tutem redigebant, quot acciperet Dux generalis. Idem omnes, qui in aliquo Regio officio erant constituti, præstabant; mitiens eorum unusquisq; quot poterat, famulos, ut prædæ partem consequerentur. Qui etiam primus in hoc Regnum venit Episcopus, famulos suos mittebat, ut prædæ particeps esset. Eo tempore plus quam dècies centena millia coronatorum auri (ut coniectura assequor) in hoc Regno deprædati sunt Hispani.



Horum

Horum autem omnium latrociniorum ad Regem vix tria milia coronatorum Castellensium missa reperiuntur; cum tamen ultra octies centena millia hominum, cæsa sint. Reliqui tyranni, qui postea huic Regno usque ad annum trigesimum tertium præfuerunt, omnibus, qui restabant, usuram vitæ, eripuerunt.

Inter omnia facinora, quæ ab hoc gubernatore, dum adhuc hoc Regnum regeret, facta, vel eius consensu patrata sunt, hoc non est omittendum. Cacicus quidam, illi dans dono, vel libera voluntate, vel (quod est magis credibile) timore ductus, nouem millium coronatorum pondus, ab Hispanis tanta pecuniæ summa non contentis, captus, palo affixus est, extensis pedibus, quibus admoto igne, maiorem pecuniæ summam postulabant; qui tormentis victus, domum mittens, tria adhuc millia adferri curauit. Hispani nouis furoribus, noua addentes tormenta, cum cernerent eum nihil amplius dare, vel quia careret, vel certè, quod ei voluntas plura dandi, decesset, in illo tormento tandiu eum detinuerunt, quo usq; medulla per plantas pedum prorumperet, unde mortuus est. His saepe tormentis Dominos, & Satrapas, ad aurum obtinendum torquentes, vita priuarunt.

Aliquoties etiam accidit, ut Iberorum centuria excursiones faciens, inciderit in montem, in quo multi homines gentem tam horrendam, & perniciosa, fugientes, latitabant, quæ in illos statim irruens, cæsis omnibus, quos poterat, sexaginta, aut octuaginta tam fœminas coniugatas, quam virgines, captivas cepit: sed cum permagnus Indorum numerus recuperandarum coniugum, & filiarum desiderio Hispanos armis persecueretur, cum proprius accessit; Iberi prædæ, cedere nolentes, mucrones, coniugum, filiarumq; costis adegerunt. Indi prætristitia, & dolore pectora tundentes, in talia verba irruperunt: Operuersos homines! ô crudeles Hispanos! ergone las occiditis? las iras sua lingua fœminas appellant, quasi dixissent:

30 C R Y D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

Necare fœminas acta sunt hominum crudelium, & bestijs peiorum.

A Panama distabat decem, vel quindecim milliaribus dominus potentis dynastæ, cui nomen erat Paris, qui auri ditissimus erat: ad hunc accesserunt Hispani, à quo non secus, ac fratres recepti sunt, & tractati, proprioq; motu quindecim millia coronatorum dono dedit Capitaneo, cui videbatur, reliquisque Iberis, illi, qui tantam auri summam gratis dabat, maximos esse thesauros, solus illorum scopus, solamenq; laborum; discessum igitur singunt, & simulant, sed circa quartam noctis vigiliam reuersi, urbem, quæ sibi satis tuta videbatur, ex improviso ingredientes, eam flammis cum multis ciuibus, consecravere, & quinquaginta, vel sexaginta millia coronatorum deprædati sunt. Dynastes viuus evasit, congregataque quanta potuit, viorum copia, elapsis tribus, aut quatuor diebus, Hispanos, qui centum, & triginta, vel quadraginta millia coronatorum illi surripuerant, asseditus, in eos irruens, omnem auri summam, deletis quinquaginta Hispanis, recuperauit; reliqui autem multis vulneribus acceptis, fuga sibi consuluerunt. Poco demum interiecto tempore Hispani in dictum Cacicu[m], armata manu reuertuntur, eumq; cum omnibus copijs delent. Qui pugnæ superfuerunt, in ordinariam seruitutem vindicati sunt.

De Prouincia Nicaraqua.

Anno millesimo, quingentesimo, vigesimo secundo dictus tyrannus vterius ad subiugandam Nicaraquam prouinciā inauspicato processit. Nullus satis dignè, & sufficienter fertilitatem, aëris temperiem, aut hominum, qui in ea viuebant, frequentiam, exprimat. Admirandus prorsus populi infinitus numerus, hæc enim regio, vrbes capiebat, quæ in longitudinem quatuor milliiorum, protrahebantur, fructuumq; copia (quæ causa

causa erat tam frequentis populi) maximè commendabilis. Hic populus, quia in æquam planitatem eius regio panditur, idcirco que montium latebræ deessent, cum etiam esset tām amœna, ut non sine maxima molestia, & difficultate illam relinqueret; multò maioribus cruciabatur angoribus, & persecutionibus, Hispanorum tyrannidem, & seruitutem æquiori, quo poterat, animo ferre coactus: adde quòd natura mitis erat, & pacificus. Hic tyrannus cum suæ crudelitatis affeclis, tantis, hanc gentem (quo etiam consilio ad destruenda reliqua Regnauſus erat) damnis, tantis cœdibus, & iniquitatibus, tantisq; seruitutibus, & crudelitatibus affecit, vt omnia, lingua, quamuis ferrea, complecti non possit. In hanc prouinciam (quæ latius patet comituſ Ruscinensi) quinquaginta equites misit, qui omnem eius populum gladio deleuerunt, ita vt omnis sexus, & ætatis personas, pro minima cauſa, vita priuarent, veluti, si vocati non accelerarent, vel si Mahidis imposta onera (Mahis frumentum eorum lingua sonat) non adferrent, vel si ad sua, sociorumq; seruitia, requisitum Indiorum numerum non adducerent; cum enim regio in planicie sit constituta, nullus horum equorum diabolum furorem euitare poterat.

Hispanos excurrere, hoc est, alias prouincias deprædarī iubebat, hisq; latronibus, & furciferis, vt quantum vellent numerum pacifici huius populi, abducerent, permittebat, & concedebat, quibus, cathenis impositis, ne oneribus sexaginta, vel octuaginta librarum cederent, sœpe accidebat, vt ex Indiorum quatuor millibus, sex homines domum reuerterentur, sicq; in itinere fato concedebant, quòd si aliqui nimio oneris pondere, defatigati in via deficerent, aut præ nimia fame, & siti in morbum, aut nimiam debilitatem inciderent, ne in cathena aperienda tempus tereretur, eos obtruncabant, & sic caput in hanc partem, corpus verò in aliam cadebat. Indiani cum ad talia itinera Hispanos se accingere videbant, scientes nullum inde reverti,

32 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

uerti, in discessu non sine fletu, & suspirijs in tales sermones
irrumpebant: Illa sunt itinera, quæ sæpe ad seruitia Christia-
nis præstanda, mensi sumus, & tamen aliquo temporis peracto
spacio, ad ædes, coniuges, liberosque reuertebamur: sed iam o-
mini spe regressus sublata, illorum visu, & conuersatione in per-
petuum priuamur.

Hoc etiam accidit, vt dictus Præses Indianos de nouo, ad placitum dispertiri voluerit, vt (sic enim fertur) sibi infestis, Indianos eriperet, alijsq; distribueret: vnde accidit, vt anno integro, satio nulla facta sit: Et cum panis deficeret, accidebat, vt Hispani Indis, omne frumentum, quod ad familię victum comparauerant, eriperent, sicq; ultra triginta millia hominum perirent. Et accidit, vt fœmina intollerabili fame pressa, filium ad vitam sustentandam, truncaret.

Et quoniam omnes hæ vrbes, & alia loca, quæ incolebantur, hortis omnino erant persimilia, vt dictum est, eas Hispani, vt forte adepti erant, incolebant; ibiç cibis ab his miseriis magno labore & sudore congregatis viuentes, rebus suis consulebant. Et ita vnuquisque proprias habebat hæreditates, quibus se aleret, & Indiani in Hispanorum ædibus habitabant, omniumq; nobilium, senum, fœminarum, puerorumq; diu noctuq; sine quiete, seruitio vtebantur, nec infantum labori parcebant, quin illis onera, ad quæ apti erant, & sanè maiora imponebant: Ijsq; modis, nec ædes, nec proprij quidquam concedentes, eos consumperunt, & quod restat, quotidie consumunt. In quo crudelitates, in Hispaniola Insula patratas, superarunt.

Multis etiam in hac prouincia mortem accelerarunt, eorum humeris asseres, & axes, ad portum triginta milliaribus, distantem, ad naues fabricandas, ferendos imponentes, illosq; ad conquirendum mel, & ceram, ad montes, vbi à tygribus devorabantur, mittentes. Grauidas etiam mulieres vecturis bestiarum onerabant.

Sed

Sed nulla maior pestis hanc prouinciam expopulauit, quam licentia captiuos à Cacicis, & dynastis huius regionis petendi, ab hoc gubernatore Hispanis concessa. Singulis quatuor, aut quinque mensibus, vel quotiescunq; petendi veniam à gubernatore, obtinerent, quinquaginta seruos dabant, eisq; Hispani minabantur, si non parerent, eos viuos comburendos, aut canibus exponendos. Cum autem Indiani paucos habeant seruos, multū enim est, si Cacico sunt tres, vel quatuor, ad subditos accedebat, orphanisq; primò captis, à parente, cui erant duo liberi, vnū; & ab eo, cui tres erant, duos efflagitabat, & ita numero, à tyranno efflagitato, dynastes satissaciebat, non sine lacrymis, & gemitu populi, cui (vt videtur) magna est cura liberorū. Quia autem hoc sèpè fiebat, ab Anno vigesimotertio, ad annum usque trigesimumtertiū, huic Regno omnes incolæ sublati sunt: spatio enim sex vel septem annorum quinq; semper, vel sex naues simul appellebatur, quæ Indianis onerabantur, vt in Pananię & Perusij regionibus venderentur, vbi omnes extremum diem obierunt; res est enim quotidiana experientia comprobata, Indianos, cum ex patria naturali transferuntur, breui post tempore diem extremum claudere, cum etiam non semper illis suppeditetur sufficiens victus, nec labor illis impositus vlo modo minuatur, cum ad laborem tantum emantur. Et hoc modo ex huius prouinciæ habitatoribus, qui antea erant liberi, vltra quinques centena millia, ad seruitutem educta sunt; bellis vero illis illatis, & horribili ad quam redigebantur, seruitute, alia quinquaginta, vel sexaginta millia perierunt, & adhuc hodie infiniti pereunt. Hæ omnes strages spatio quatuordecim annorum inclusuè, patratæ sunt. Restant fortè in hac Prouincia Nicaragua na quatuor, vel quinque millia hominum, qui ordinarijs, & personalibus oppressionibus, morti dantur, cum tamen, vt dictum est, multitudine populi, reliquis orbis regionibus præstiterit.

De Hispania noua.

ANNO millesimo, quingentesimo, decimo septimo, Hispania^a noua detecta est; in cuius detectione nihil primum erat, nihil secundum, sed omnia cædibus scatebant: anno sequenti Hispani (qui se Christianos nuncupant) eò ad prædandum, & occidendum profecti sunt, quamuis ad populandam regionem, se hoc iter suscipere dicant. Ab hoc anno, usque ad annum, quem hodie agimus, millesimum, quingentesimum quadragesimum secundum, iniustitia, violentia, & tyrannides Hispanorum ad ultimum extremitatis gradum peruenere, omnem enim Dei, & Regis timorem, sui ipsius oblii, se posuerunt: strages enim, crudelitates, cædes, deuastationes, vrbium destructiones, deprædationes, violentiæ, & tyrannides, quas in tam diuersis, & amplis Regnis commiserunt, tantæ sunt, tantoq; horrore animos detinent, ut ex omnes, quas superius recensuimus, nihil sint, eorum respectu, quæ ab Anno millesimo, quingentesimo decimo octauo, usque ad annum millesimum quadragesimum secundum patratæ sunt, & adhuc hoc mense, quo viuimus, Septembris omnium grauissimæ, & abominandæ committuntur, ut regula, quæ superius loco thesis posita est, omnino vera sit, nempe eos ab initio à malo in peius ruisse, eosq; à semetipsis in diabolis suis factis, & facinoribus superatos.

Et ita à primo Iberorum ingressu in Hispaniam nouam, qui incidit in decimam octauam diem mensis Aprilis dicti anni decimi octaui, usque ad annum trigesimum, quibus decem integrum anni concluduntur, stragibus, & cædibus à sanguinolentis, & crudelibus Hispanorum manibus editis in 450. milliarium continent circum Mexico, & vicinis locis, quibus quatuor vel quinque ampla Regna, quæ nec magnitudine, nec fertilitate Hispaniæ cederent, contineri possent, nullus impositus est finis. Hæc omnis regio Toleto, Hispali, Valadolida, Cæsari Augustæ,

gustæ, & Fauentia populosior erat, neque enim hoc tempore in ijs tantus est populus, neque etiam cum maximè florarent, tantus fuit, quantus extabat in ea regione, quæ ambit vltra mille octingenta milliaria. Illis duodecim annis in dicto continentí 480. milliarium Hispani, computatis viris, fœminis, iuuenibus, & pueris vltra quatuor milliones hominum, in suis conquisitionibus (sic enim vocant) sed potius ipsius Turcæ, quæ ad destruendam Ecclesiam Catholicam referuntur, inuasionibus; bellis iniquioribus, nec solùm lege diuina, sed & humana damnatis; ensibus, lanceis, igne deleuerunt. Neque verò, qui in seruitute, & oppressione ordinaria obierunt, hoc in numero computantur.

Non est lingua, scientia, vel notitia humana, quæ recitare valeat, horum sceleratorum facinorum, quæ hi Reip. imò totius generis humani capitales hostes, vbique in diuersis regionibus, diuerso tempore patrarunt: neq; verò vlla diligentia, tempore, aut scripto aliquorum factorum circumstantiæ, quibus grauiores redduntur, explicari queant. Tamen de vnaquaque parte aliquid singulariter dicam, ea protestatione, & iuramento, me non existimare ex millesima, vnam partem complecti.

De noua Hispania peculiariter.

INTER alias strages, hanc etiam in amplissima vrbe Cholula, quæ vltra triginta millia familiarū capiebat, edidere; Omnes regionis, vicinorumq; locorum dynastæ, sacerdotes primò cum suo magno Pontifice, pompa Hispanis obuiam eentes; eos, vt maiori reuerentia reciperent, ampliori q; honore dignarentur, in medio pompæ constituerant, vt potentiorum, principaliorumq; Satraparum ciuitatis ædibus excepti, in vrbe hospitio recipierentur: Hispani illicò consilium coperunt, de strage, vel castigatione (sic vocant) edenda, vt suarum crudelitatum fcele-

36 CRVDELITATES HISPANORVM

ratis factis omnes huius regionis angulos consernent, in omnibus enim regionibus, quas ingressi sunt, hoc de more habuerunt, vt statim primo appulsi insignem aliquam stragem ederent, qua hi agni mites, præ illorum timore, tremerent. Miserunt ergo ad gubernatores, & nobiles ciuitatis, omniumq; locorum, illi, subditorum & supremo Domino, vt accederent, cumq; ad colloquium Hispanorum ducis appulissent,



statim

statim detenti, & capti sunt, antequam ullus huius captiuitatis nuntius, animaduertere posset. Ab illis petita sunt sex millia Indianorum ad ferenda impedimenta, & onera Hispanorum, qui cum aduenissent, in areis ædium collocati sunt, & conclusi. Res erat miseratione digna, hunc miserum populum, cum se ad ferenda Hispanorum onera præpararet, cernere. Nudi accedebant, solis verendis tectis, humeris casse, & cibo oneratis; demittebant se omnes in terram, & dorso incuruato, non secus ac miseri agni, subsidentes, se ensium iætibus exponebant: Sic ergo in area congregatis, pars Hispanorum armatorum ianuas tenet, ut accedentes arceat, alij mucronib. & lanceis, mites hos agnos iugulant, ita ut ne vnu mortem euaserit: elapsis autem duobus, aut tribus diebus, aliqui, qui inter mortuorum cadauera latitabant, cruenti, sanguineq; conspersi, cum lacrymis & fletibus se Hispanis offerebant, omni submissione eorum misericordiam & mortis prolongationem implorantes: sed nulla aut misericordia, aut compassione moti, omnes in frusta discerpebant. Omnes autem dynastæ, quorum ultra centum erant, vinciti tenebantur, quos Capitaneus palis in terram defixis, viuos concremari iussit. Sed Rex totius regionis euasit, seq; comitatus triginta, vel quadraginta hominibus, in templum, quod erat instar propugnaculi, Quu eorum lingua vocabatur, coniecit, ibi q; magna diei parte se defendit. Sed Hispani, è quorum manibus, præcipue verò militum nullus euadit, templo igne apposito, omnes, qui in eo erant, combusserunt, qui morientes in tales voces, & clamores irrumpebant: O perditos homines, quavos iniuria affecimus, ut nos cæderetis? Ite, ite, Mexiconem petite, vbi supremus noster Dominus Montenxuma, de vobis vindictam sumet. Illud narratur, cum huic tragœdiæ Hispani occupati essent, quinq; vel sex millia hominum de medio tollentes, eorum Capitaneum summa lætitia perfusum in hunc cantum prorupisse.

Mira Nero di Tarpeya à Romo como se ardia
Gritos don ninos y vieyos, y el de nadase dolia.

Hoc est,

Monte ex Tarpeio Romana incendia spectans
Ipse Nero planctus vidit, nec corde mouetur.

Lanienam etiam maximam in vrbe Tepeaca ediderunt, quæ
amplior, & ædium numero præstantior erat prædicta. Hic infi-



mitum

nitum numerum, cum multis crudelitatum circumstantijs, ensium mucronibus vitæ vsura priuarunt.

Cholula soluentes, Mexicum se contulerunt, cuius Rex Motencuma innumera dona, cum satrapis, & nobilibus in itinere varijs lusuū generibus gratum illorum aduentū testantibus, obuiam misit. Cum verò ad aggerem peruenissent, processit eis obuiam eius frater multis nobilibus comitatus, qui multa dona in auro, & argento, pictai vestis & auri ferebant, & in ipsis us vrbis introitu ipse Rex, cum omni sua aula, petorito aureo portatus, eos vsque ad palatium illis præparatum, comitatus est. Ea ipsa die, vt mihi à quibusdam, qui adfuerunt, relatum est, certa dissimulatione magnum Regem Motencumam, nihil minus timentem, cepérunt, & eius custodiæ octuaginta milites præfecerunt: postea verò pedibus catheravinctus est: sed ijs omnibus præteritis, & silentio inuolutis, de quibus multa dicenda forent, vnicum notatu dignum ab illis tyrannis perpetratum narrabo. Cum se Capitaneus ad portum contulisset, debellandi cuiusdam Capitanei Hispani, qui eum bello persequebatur, gratia, & alium cum centum, vel paulò plus militibus, ad custodiā Regis Motencumæ reliquisset, istis in mentem venit aliiquid memoriæ dignum patrare, quo magis cresceret, & augeretur in his prouincijs formido illorum crudelitatis, quo consilio, vt dixi sæpiissimè, vsi sunt.

Interea



40

Interea omnis nobilitas, & plebs ciuitatis nihil aliud in votis habebat, quam diuersis ludorum, & recreationum generibus Regis sui captiui animos exhilarare, illiusq; captiuitatem solari: inter alia verò, hoc vnum erat, nempe saltationes, & choreæ, quas noctu in omnibus compitis, & plateis ciuitatis celebrabant, eas sua lingua Mirotes, vt Insulani Arcytos appellant. Ad has choreas omnes suas diuitias, vestes, &

stes, & pretiosa quæq; conferunt, huic rei omnino dediti: neque enim habent maiora signa, & testimonia lætitiae. Nobiliores etiam, & sanguinis Regij Principes, vnuſquisque secundum gradum, dictas choreas in vicino loco earum ædium, in quibus Rex & Dominus captiuus detinebatur, celebrabant. Non procul à palatio aberant, duo circiter millia iuuenum nobiliū, qui omnes, potentiorū totius Regni, liberi erant, & verè flos nobilitatis totius Regni Motencumæ. Ad hos se contulit Hispanorū Capitaneus, cum aliquo militum numero, & alios ad reliquias vrbis partes, in quibus hæ choreæ celebrabantur, misit, quasi eos tantum confaciendi, & videndi gratia. Iusserat Capitaneus, vt indicta hora in hos saltatores irruerent, & ipſe Indianos saltationibus occupatos aggrediens, dixit: Sant Tiago in ipsos irruamus, quo dicto, omnes euaginatis gladijs, hæc nuda, & delicata corpora aperire, sanguinemq; generosum, & nobilem profundere cœperūt, & ita ne vnicus vitæ superfuit. Reliquisq; idem in alijs locis facientibus maximus stupor, & simul dolor, has prouincias occupauit. Et hos fastos, quandiu erit mundus in rerum natura, non cessabunt celebrare & lamentari, & decantare in suis Areytis. tanquam rhythmis, calamitatem, & ruinam seminarij antiquæ nobilitatis totius Regni, de qua tantopere gloriabantur.

Indianii inauditam hanc in tantum innocentium numerum crudelitatem, & iniuriam cernentes, cum etiam maxima patientia iniustam Regis sui captiuitatem tulissent, à quo in mandatis acceperant, ne in Hispanos arma caperent, omnis vrbis ad arma cucurrit, & in Hispanos ruit, quorum multis læsis vix reliqui euasere: pugione tandem Regis pectori admoto, illi mortem minitabantur, nisi per fenestras prohiberet suis, vt ab opere desisterent. Sed Indij, pro tempore, mandata Regis contemnentes, Ducem elegerunt, quem omnibus copijs præfecere. Et quia, qui ad portum profectus erat Capitaneus victor re-

42 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

uerterebatur, multoq; maiorem Hispanorum numerum adducebat, quām deduxisset, ab armis per spatium trium, vel quatuor dierum recessum est, quo usque urbem ingressus esset. Tunc Indij, collectis, & congregatis maximis copijs, tandem, & tam strenue pugnauerunt, quo usque Hispani de salute desperantes, consilium ceperunt, intempestiuia nocte receptui canere, & urbem relinquere. Quod cūm innotuisset Indijs, infinitos in pontibus paludum, æquo & sancto bello, propter supradictas causas, vt iustas ab omni æquo iudice approbandas, armis deleuerunt. Postea verò Hispanis recollectis & conglomeratis, certamen urbis secutum est, in quo stupendas, & horribiles Indiorum lanienas edidere, infinitumq; populum, multis potentibus dynastis igne sublatis, trucidauere.

Perpetratis illis abominandis cædibus in urbe Mexicane, & alijs decem, quindecim, & viginti milliaribus ab hac urbe, hæc tyrannis & pestis ad infectandam & desolandam prouinciam Panuco processit. Admirabilis erat in ea regione populi frequentia, nec minori admiratione dignæ strages, quæ ibi peracte sunt. Eodem etiam modo deuastarunt prouincias Tutepecam, Ipilcingonium, & Columam, quarū unaquæq; non minoris est amplitudinis, quām sunt Regna Legionæ, & Castellæ. Res esset perquam difficilis, imò omnino impossibilis, strages, & crudelitates ibi commissas recitare, & nauseam, fastidiumq; parerent legentibus.

Notandum est, eos non alio titulo has regiones ingressos esse, Indianorumq; terras, quæ propter populi abundantiam omnibus verè Christianis lætitiam parere debuissent, deuastasse, nisi, vt eos in seruitutem redigerent; primo enim introitu, vt regi Hispaniæ obedientiam, & fidei iuramentum præstarent, cogebant, quod si non acquiescerent, illis mortem, seruitutemq; minabantur. Qui verò illicò non accedebant, vt mandatis tam inquis satisfacerent, hominumq; tam iniustorum, & crudelium vo-

um voluntati se submitterent, rebelles pronunciabantur; de illoq; crimine Regi Domino nostro insimulati sunt, eorum, qui Indijs præerant, cœcitate non permittente, ut intelligerent, & comprehendenderent apertissimum illud iuris axioma: Nullum rebellem appellari posse, qui subditus non sit. Iam considerent, & perpendant Christiani, qui aliquam rerum habent cognitionem: Vtrum populi, proprijs Dominis subditi, in hæreditaria, & libera regione viuentis, corda præparari, & informari possint his nuntijs: Subjicite vos obedientiæ extranei R̄egis, quem nec vñquam vidistis, & de quo nulla vobis vñquam mentio facta est, alioquin in frusta vos discerpemus; neque vt docet experientia, dicto, quām factō, erant promptiores. Et quod stupendum magis est, eos ipsos, qui obedientiam præstant, in seruitutem durissimam redigunt, quorum, propter incredibilem laborū, & tormentorum vim; quām illorum, qui gladio tolluntur, sors est multò deterior; tandem enim cum fœminis, liberis, & omni generatione pereunt. Quod si accidat, vt minis, & crudelitatibus territi, Regis extranei dominationi se subjiciāt, nonne cœci isti ambitionis, & avaritiæ crudeles ministri, se, nec diuino, nec humano iure nisi, vident? cum tales sint metus, qui etiam in constantissimos cadant, nec ullius sint authoritatis (ea pœna dempta, qua in inferorum baratis cruciabuntur) vt ullam rem validam reddant. Prætero offensas, & damna in ipsum Regem, cum eius Regna deuastant, omneq; Indianum ius (quantum possunt) imminuunt, immo inualidum, & nullum reddunt. Et haec sunt seruitia, quæ Hispani in illis regionibus nostris Regibus, iniusto illo, & benè fucato titulo præstant.

Hic tyrannus codem nixustitulo, alios duos Capitanos, qui eum & impietate, & crudelitate superabant, ad florentissima, & fructuum, hominumque fertilissima Regna Guatimalæ, quæ ad Austrum sita sunt, misit: qui etiam ad Regna Naco, Honduras, & Guaymura, quæ ad Septentrionem vergunt, &

44 CRUDELI TATES HISPANORVM

itinere trecentorum milliarium Mexiconæ confines sunt, proficisci in mandatis acceperant. Alter terra, alter verò mari missus est, vterq; tam peditatu, quām equitatu benè instructus.

Hoc verè dico, malorum, quæ ab his duobus, præcipue verò ab eo, qui in Regnum Guatimalæ profectus erat (alter enim mala morte sublatus, paulò post perijt) patrata sunt, posse particularem librum confici, & tantis cædibus, iniurijs, lanienis, & brutalibus desolationibus repleri, ut seculis tam præsentibus, quām futuris terrorem incuteret. Hic certè tam abominationum, quām deuastationum, quæ omnino infinitæ sunt, numero, & quāntitate, cæteros superat.

Qui mari profectus est magnis incursionibus, & crudelitatibus littus maris afflixit, cui quidam ex Regno Yucatan, quod in via Regnorum Naco, & Naymura, ad quæ iter suum direxerat, situm est; donis onerati occurserunt; ad quos vbi peruenit, Capitaneos misit, cum militibus, qui terram popularentur, & magnas deuastationes, & strages ederent; præcipue quidam seditiosus, & rebellis cum trecentis militibus regionem Guatimalæ vicinam intrauit, ibiq; vrbibus incensis, omnibusq; habitatoribus cæsis, corum bona diripuit, quod consulto in centum, & viginti milliarium continentii fecit, ut si eos socij persequerentur, regionem deuastatam inuenirent, & sic ab Indijs in vindictam damnorum acceptorum necarentur; quod accedit, nam ibi præcipiuus Dux, cuius Imperijs dictus Capitaneus erat rebellis, occisus est. Cui multi alij crudelissimi tyranni succederunt, qui stupendis suis crudelitatibus Indios seruitute afficientes, & eos postea, ijs, qui vinum, vestimenta, & similia ad vitam necessaria adferebant, vendentes, cum ordinaria illa seruitute ab Anno millesimo, quingentesimo, vigesimoquarto, ad Annum millesimum, quingentesimum, trigesimumquintum Prouincias Naco, & Honduras, quæ videbantur deliciarum Paradisus, & ceteris orbis regionibus, populi frequentia præsta-

præstabant, desertas, & expopulatas reddidere: & nuper eas ita destructas vidimus, vt nullus sit, quantumuis durus & immanis, qui misericordia, si illas cerneret, non moueretur. His vndecim annis vltra duo milliones hominum in illa regione ceciderunt, iamq; vix restant duo millia, qui singulis diebus ordinaria seruitute perimuntur.

Sed ad magnum illum tyrannum, qui præteritos crudelitatem, vt dictum est, vicit, & præsentibus æqualis est, Guatimalam profectum, reuertamur: is à Prouincijs Mexiconiæ vicinis, quæ secundum iter, quod sequutus est (vt ipse met litteris ad principem tyrannorum missis, scribit, & testatur) à Guatimala, itinere quadringentorum milliarium, distant; stragibus, combustionibus, incendijs, & depopulationibus semper incubuit, dicto titulo omnes cogens, vt se hominibus tam inhumanis, crudelibus, & iniquis submitterent, Regis Hispaniæ, quem nec visu, nec auditu norant, & quem etiam iniquiorem, & crudeliorrem ipsis ministris existimabant, nomine. Et sic nullo delibrandi spatio concesso, omnia igne, & sanguine delebant.

De Regno, & Prouincia Guatimala.

PRIMÒ in hoc Regnum appulsi magnam stragem edidit.

Hoc tamen non obstante præcipius Dominus, in petorito cum tubis, tympanis, & exultatione, multis yrbis Vltlatanæ, totius Regni emporio, nobilibus comitatus, illi processit obuiam, illiq; cibi omni affluentia, cum ijs, quæ maximè desiderabat, oblati sunt. Ea nocte Hispani extra urbem pernoctarunt: neque enim sibi satis tuti in vrbe tam benè munita, videbantur. Die sequenti ad se dictum Dominum, cum multis nobilibus accersiri iussit, quibus certa auri summa imperata est: illi cùm se satisfacere non posse responderent, neque enim hæc regiœ aurum dabat, illius iussu, sine alia criminis nota, & absq; vlla proceden-

46 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

di forma, igne viui combusti sunt. Cæteri harum prouinciarum nobiles, cum cernerent Dominos suos, penes quos summa Imperij erat, hac sola de causa, quod aurum non dedissent, esse combustos, in montibus fuga sibi consuluerunt, subditis imperantes, ut Hispanis, tanquam Dominis obedirent, sed illis exprefse defendantes, & prohibentes, ne de fuga, & latebrarum locis eos certiores facerent. Et ecce infinitus ad Hispanos accessit numerus hominum efflagitantium, ut se in subditorum numerum referrent, se illis inservire velle: Capitaneus respondit se illos recipere nolle & omnes internectione deleturos iri, nisi locum indicarent, ad quem Domini configerant. Indiani responderunt, sibi hoc penitus esse ignotum, & incognitum, se autem contentos, ut suo, fœminatum, liberorumque seruitio vterentur; illos quidem esse domi, & accedere licere, eosque vel nece, vel quo modo vellet excipere: quod sèpè & repetito obtulerunt. Res est mira: Hispani pagos & villas petiere, & miseros hos labori cum fœminis, & liberis, securè, ut putabant, incumbentes, lanceis deleuerunt. Accesserunt ad amplum quandam pagum, qui innocentiæ confidens, præ reliquis se tutissimum existimabat, sed ad tantam desolationem spatio duarum horarum redactus est, ut gladijs omnis sexus, & ætatis hominibus sublatis, nulli (exceptis ijs, qui sibi fuga consulere potuerunt) tantæ cædi superfuerint.

Cernen-



Cernentes Indij, neque humilitate, neque donis, aut patientia, tam inhumana, & ferocia corda placari, seq; sine vlla ratione ita mactari, consilium ceperunt colligendi se, & ad arma concurrendi: tutius quippe esse ducebant, cum mors illis malum esset necessarium, armata manu, vindictam de hostibus sumendo cædi, quam sine vindicta, ab illis necari. Cum autem armorum inopiam, nuditatem, & debilitatem suam cernerent,

neq;

48 CRVDELITATES HISPANORVM

neq; sevllum equorum vsum habere, vt hosti tam furioso præualerent, illis in mentem venit, scrobes in ipsis itineribus subigere, in quas pertranseuntes equi inciderent; & ita palis adustis, & acutis ibi consultò statutis, & sic gleba tectis, vt videri non possent, transfigerentur. Bis quidem, vel ter in illas scrobes equi incidere, sed postea Hispani optimè præcauerunt. Idcirco hanc legem condiderunt, vt quotquot cuiuscunque ætatis, vel sexus Indiani caperentur, in has easdem foueas, quas fecerant, injicerentur. In eas etiam grauidas fœminas coniecerunt, & quotquot occurrabant senes, quo usque omnino repletæ fuerunt. Res erat magna commiseratione digna, fœminas cum pueris his palis transfixas cernere: reliqui verò gladijs, & lanceis sublati sunt: aliquos etiam famelicis canibus exponebant. Potenter satrapam in igne maximo combusserunt; inquietantes illum hoc genere mortis maximo honore affici. Duraruntq; hæ crudesles lanificinæ spatio septem annorū ab Anno vigesimoquarto vsq; ad annum trigesimumprimum. Quot eo tempore morte affici potuerint, lector iudicet.

Inter infinita scelera ab hoc tyranno, & suis, neque enim ipso duce humaniores existebant, in hoc Regno patrata, hoc etiam notatu est dignum. In prouincia Cuzcatan in qua vrbs Sancti Saluatoris sita est, quæ quidem regio, cum vicino maris tractu, qui in quadraginta, vel quinquaginta milliarium longitudinem extenditur, & in ipsa vrbe Cuzcatan, quæ erat totius prouinciae metropolis, magno applausu receptus est, eum enim viginti, vel triginta millia Indianorum gallinis, alijsq; ad victimum necessarijs, oneratorum, expectabant. Ille receptis donis, iussit, vt unusquisq; Hispanorum, huius populi, quantum vellet numerum, eligeret, vt eo tempore, quo ibi manerent, eorum seruitijs crerentur, & ferre quidquid iuberent, cogerentur. Quisq; centum, vel quinquaginta, vt existimabat ad seruitium suum sufficere, eligebat. Miseriisti agni omnibus iuribus, omniq; conatu

natu Hispanis inseruiebant, ita ut sola adoratio desideraretur. Interea hic Capitaneus multum auri à Dominis efflagitauit, ad id enim solum venerat, qui responderunt se esse contentos illis omne aurum quod habebant, tradere. Indiani igitur magnum hastarum ex orichalco inaurato, numerum, quæ aureæ esse videbantur, & certè aliquid auri illis inerat, congregarunt. Capitaneus eas Lydio lapide probari iussit, cumq; orichalcum esse cerneret, Hispanos his verbis allocutus est; Omnibus diris deuota sit talis regio, in qua nullum est aurū; quisq; retineat, quos sibi pro seruis elegit, cathenis concludantur, & seruitutis stigmate notentur: quod & factum est, stigma enim Regium, ijs, qui non euaserunt, inustum est. Ego etiam præcipuo totius ciuitatis viri filio vidi imprimi. Indiani, qui euaserant, cum reliquis regionis incolis hæc omnia cernentes, congregarunt se, ut bello Hispanos tentarent, sed tam malo omine, ut infinitus eorum numerus prostratus sit. Postea Guatimalam reuersi sunt, ubi urbem condiderunt, quam Deus iusto suo iudicio tribus, quorū primum aquę, alterum terrę, tertium lapidum, magnitudinis decem, vel viginti boū, diluuijs simul concurrentibus, deieuit. Cæsis itaq; omnibus, qui bello eos infestare poterant; cæteri ad dictam seruitutem redacti sunt, tributa masculorum, & filiarum soluentes, neque enim alia vtuntur seruitute. Et sic ijs, in Perusium, ut venderentur, missis, reliquisq; cædibus, hoc Regnum, quod tam in longitudine, quam in latitudine centum millaria habet, nec ulli alteri, aut populo, aut fœlicitate cedit, destruxerunt, & desertum reddiderunt. Et ipse met Tyrannus scripsit maiorem esse in hac Provincia populi frequentiam, quam in Regno Mexico, quod & verum est. Cum suis socijs, & confratribus ultra quatuor vel quinque milliones hominū quindecim, aut sexdecim annorum spatio ab anno vigesimoquarto, ad quadragesimum usq; morti dedit, & quotidie eos, qui restant suis crudelitatibus destruit.

50 CRVDELITATES HISPANORVM



Huic tyranno de more erat, cum alicui vrbī, vel prouinciæ bellum moueret, Indianorum iam subiugatorum, quantum poterat, numerū, ducere, vt socijs bellum inferrent, cumq; decem, vel viginti millibus hominum, quos secum ducebat, non daret vnde vitam sustentarent, illis permittebat, vt aliorum Indianorum in bello captorum, carnis vescerentur. Et ita in suo exercitu humanæ carnis lanienam habebat, & in eius præsentia

presentia pueri occidebantur, & torrebantur. Homines occidebant pedum tantum, & manuum gratia, hæc enim membra in cupedijs habebant. Quibus à vicinis intellectis omnes stupore, & terrore consternati sunt.

Transferendarum nauium labore multos interimebat, eas enim à mari Septentrionali ad Mediterraneanum, quæ centum & triginta milliaribus distant, ancoris maximi ponderis oneratas, transportari curabat. Ita etiam multa, & maxima tormenta belli transferebantur, quæ horum hominum nudorum imponebant humeris, & sic multis, maximis & ponderosis oneribus oppressi, in itinere (oculatus testis loquor) deficiebant. Familias separabat, & diuidebat, coniugibus coniuges eripiens, & parentibus filias, quas nautis & militibus dabat, vt illis satisficeret. Omnes naues Indijs replebat, ubi fame, & siti enecabantur. Si profecto omnium illius crudelitatum particularia, recensere vellem, integrum librum conficerem, qui animos hominum in stuporem traheret. Ille potentes duas classes habebat, quibus tanquam fulmen cœli, hos miseros consumebat. O quam multos liberos, parentibus, quam multos coniugibus, coniuges, & liberis parentes orbauit, quam multorum adulteriorum, libidinum, & raptuum causa extitit, quam multis libertatem eripuit, quantis angoribus, & calamitatibus inumeros oppressit, quantas excitauit lachrymas, suspiria, gemitus, quam multis, in hac mundi peregrinatione, desolationum, & damnationis in futuro seculo, author extitit, non solùm Indianis, quorum infinitus est numerus, sed etiam Hispanis, quorum ope in committendis his horrendis, & abominandis crudelitatis & facinoribus usus est. Deum supplex oro, vt eius misereatur, & contentus esse velit, mala illa, qua perire, morte.

Denoua Hispania, item Panuco, & Xalisco.

HOrrendis dictis crudelitatibus, & cædibus, & ijs, quas omisi, in prouincijs nouæ Hispaniæ, & Panuconiaæ, peractis, Panuconem venit crudelis & rabidus alter tyrannus, qui multas crudeiitates committens, & multas naues his barbaris oneratas Cubam, & Hispaniolam, vt ibi venderentur, mittens, hanc prouinciam penitus desertam reddidit. Et accidit, vt pro iumento dati sint octingenti Indiani, anima rationis participe dotati. Præses autem urbis Mexiconiæ, & totius nouæ Hispaniæ factus est, & cum illo multi alij tyranni Auditoris officio donati sunt: in quibus officijs exercendis se tam multis peccatis, crudelitatibus, facinoribus, & abominationibus coiquinarunt, vt credi vix possit. Et ita hanc regionem desolatione affecerant, quod si religiosi Ordinis Sancti Francisci illis strenue se non opposuissent, & citò, de consilio Regio, optimo, omnisq; virtutis amantissimo, prouisum regioni non fuisset; duorum annorum spatio, quod Hispaniolæ acciderat, penitus expopulata, & deserta Hispania noua, iam in ruinis iaceret. Quidam istius Præsidis socius, vt muro hortum suum concluderet, octo millium Indiorum seruitio vtebatur, cumq; illis nec victum, nec salarium daret, omnes interibant, neque vñquam illorum morte vlla misericordia, aut commiseratione motus est.

Postquam primus ille Capitaneus de quo dictum est, finem destructionis Panuconis imposuisset, illiq; relatum esset Senatum Regium aduentare, vltierius, vt aliquam regionem, in qua tyrannidem exercere posset, inueniret, processit, & vi ultra quindecim, aut viginti millia hominum sequi coëgit, ad fera Hispanorum, & comitum onera, & impedimenta, quorum vix ducenti, reliquis in itinere peremptis, reuersi sunt. Tandem ad prouinciam Machuacam deuenit, quæ itinere quadraginta milliarum Mexicone distat, nec illi fertilitate, aut populi numero



53
mero cedit, Regi, illi honoris gratia obuiam procedenti, cum
multo populo, à quo mille seruitijs, & beneficijs affectus fuerat,
captiuitatem indixit, eum enim esse auri, & argenti ditissimum,
fama dictitabat. Et vt aurum ab eo extorqueret, & emungeret,
eum tormentis torquebat: numella enim pedibus apposita, ex-
tenso corpore, manibus palo alligatis, pruna pedibus adhibita
est, aderatq; puer, qui oleo eos paullatim irrigabat, vt cutis meli-

G 3 us tor-

us torreretur: vna ex parte stabat vir impius, qui arcum cordi collimabat: aderat verò alter alia ex parte cum canibus, sc̄ eos dimissurum simulans, quod si fecisset, minimo profecto temporis momento dilaniandus erat, & huiuscemodi tormentis eū vexabat, vt eius confessione thesauri in lucem prodirent; quo-
v̄sque quidam Ordinis Sancti Francisci Monachus aduenit, qui cum tormentis, non tamen morte, quæ illa subsecuta est, eripuit, multos Cáicos, & dynastas huius prouinciæ, eodem mortis genere, vitæ vsura priuauit, vt ab eis argentum, & aurum con-
sequeretur.

Hac ipsa tempestate quidam, crumenarum, potius, quàm animarum visitator, aduenit, qui cum quædam idola, ab Indijs abscondita, reperisset, & offendisset, neque enim improborum Hispanorum documentis, Dei melioris cognitio illis innotuerat, tandiu captiuos potentiores detinuit, quousque sua idola tradidissent, existimabat enim ea esse aurea, vel argentea, qua spe lapsus, eos non minus crudeliter, quàm iniuste castigauit. Sed ne omnino expectatione frustratus abiret, eos coëgit, vt idola sua pecunijs redimerent, vt scilicet, more solito illis, adorarent, hi sunt fructus Hispanorum in Indijs, & ita Dei honorem & cultum procurant.

Hic



Hic tyrannus ex prouincia Mechucam, Xaliscum se contulit, quæ regio populi, & fructuum ferax erat, Indorumq; haud minima gloria gentis, quippe quæ pagos haberet, in longitudinem septem milliarium patentes. Illi has regiones ingredienti, Indiani, ut solent, multa lætitia, & donis occurrerunt: ille verò in eas crudelitates, quarum erat optimus magister, irrumpit, quib. vti reliq; solent, vt eum scopum, quem sibi pposuerunt, attingant, id est,

vt aurum, quem vnicum Deum confitentur, cumulent. Vrbes incendijs solo æquabant. Principes, multis prius illatis tormentis, captiuos detinebant. Quos capiebant, quorum infinitus erat numerus, cathenis vincitos in seruitutem abducebant. Pu-erperæ, malorum Christianorum impedimentis, oneratæ, cum labore & fame pressæ, pueros suos ferre non possent, eos in viam abijcere cogebantur, qua morte infinitus infantium numerus perijt.

Cùm malus quidam Christianus, pudicitiam virginis violare tentaret, præsens mater se opposuit, cumq; hanc illi eripere vellet, Hispanus pugione euaginato manum illi præscidit, & virginis inordinato eius appetitui strenuè repugnati, & resistenti, pugionis ictibus, vitam eripuit.

Inter cætera, hoc etiam iniquum est & iniustum, quòd stigmate 4500. homines, quibus Hispani liberiores non erant: inter quos etiam infanti duorum, quatuor, & quinq; annorum, notari curauit: qui tamen omnes illi honoris gratia obuiam processerant; Innumera alia silentio inuoluo.

Patratis igitur his supradictis omnibus facinoribus, in ordinariam, & tyrannicam seruitutem redacti sunt, cuius rei causa eò se profectos Hispani existimant. In quibus regionibus dictus gubernator omnibus Iberis, præcipue suis œconomis liberum infinitorum tormentorum exercitium ad extorquendum ab Indianis, aurum, & tributa, concedebat. Eius œconomus ipso pacis tempore multos occidit Indianos, alios viuos comburens, vel canibus exponens; alios pedibus, manibus, lingua, vel capite truncans, vt timidiiores effecti, nec seruitia, nec aurum denegarent, hæcq; omnia ipso tyranno vidente, & consentiente siebant, neq; hoc solùm, sed etiam virgis, & baculorum iictibus, colaphis, & alijs crudelitatum generibus illos exercebat, & indies opprimebat.

Incendio in hoc Regno Xalisco octingentos pagos, vt fertur,

fertur, deleuere, qua de causa Indij desperati, cernentes reliqui-
arum tantæ crudelitatis quotidianum exitium, in Hispanos in-
surrexerunt, quorum aliquos merito, & iure enecantes, ad
montes confugerunt. Cum verò procedente tempore adueni-
entium tyrannorum, qui has terras præteribant ad deuastandas
(quod ipsi vocabuli proprietate abutentes detegere vocant)
alias regiones, & prouincias; iniuriæ, & damna crescerent, &
multiplicarentur, multi Indiani congregati, dum in rupibus,
propugnaculis ad propugnandum, & pellendum hostem, ere-
ctis, se tueri volunt, ab Hispanis in ipsismet rupibus ceduntur,
& in illis adhuc hodie miræ lanificinæ eduntur; & tantæ, ut ex
infinito huius populi numero, vix reliquiæ vllæ cernantur.
Et ita Hispani excœcati, à Deo derelicti, & in sensum reprobum
dati, non cernentes Indiorum causam cum iure naturali, tum
etiam diuino, & humano; illos viribus, & armis pellendi, in fru-
stra discerpendi, & finibus ejiciendi, esse iustissimam, nec viden-
tes, quām iniquæ sint eæ violentiæ, & tyrannides, quibus hos
miseros afflixerunt, noua in illos bella moliuntur. Illi exi-
stiment, dictisq; & scriptis testantur, eas victorias, quas con-
tra hos innocentes, eos destruendo obtinuerunt, sibi à Deo esse
concessas, quasi verò iniqua illorum bella iure fiant, & sic iacta-
bundè lœti grates Deo, de sua tyrannide reddunt, imitatione ty-
rannorum, & latronum, de quibus Propheta Zacharias cap. II.
Pasce pecora occisionis, quæ, qui occidebant, non dolebant, ”
sed dicebant: Benedictus Deus, quia diuites facti sumus. ”

De Regno Yucatan.

Anno millesimo, quingentesimo vigesimo sexto, vir perdi-
tus Regno Yucatan suis mendacijs, & falsò Regi relatis præ-
fectus est, quo modo reliqui tyranni usque in præsentem diem
ad officia obtinenda, & munia publica obcunda, usi sunt, eorum

H enim

38 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

enim prætextu, & authoritate facilius furtis, & latrocinijs vacabant. Hoc regnum populo abundabat, cum propter aëris temperiem, tum ob vietuum, & fructuum, quibus Mexicane fertilior est, abundantiam; præcipue verò melle, & cera, reliquis Indiæ regionibus, quæ in hunc usque diem visæ sunt, præstabat. In ambitu trecenta habet milliaria. Huius prouinciæ omnium Indorum, vel quod ad politiam, & prudentiam, vel quod ad regulam vitæ, & morum attinet, præstantissimi erant, verè digni, qui ad Dei cognitionē adducerentur: potuissent, ibi amplæ & multæ vrbes erigi, & construi ab Hispanis, vbi tanquam in horto deliciarum viuere potuisserent, nisi sua auaritia, stupiditate, & enormium peccatorum grauitate tanti boni indignos se præstitif-
fent. Hic tyrannus trecentis hominibus in hos innocentes domi viuentes, & nulli iniuriam inferentes bella mouere cœpit, quibus infinitum populum ad ultimum exitium adduxit. Et quia hæc regio aurum non habet, si enim habuisset, breui incolarum vitæ in fodinis finis impositus fuisset, vt ex eorum corporibus, & animabus, pro quibus Christus mortem subiit, aurum compararet: in genere eos, quibus vitam non ademit, seruos effecit, nauesq; quas fama, & rumor eò adduxerat, his oneratas, dimisit, facta eorum permutatione eum vino, oleo, aceto, salsa carne porcina, vestimentis, equis, & reliquis, quæ singulis necessaria esse iudicabat, & existimabat. Electionem centum, vel quinquaginta virginum proponebat, eamq; quæ ceteris præstaret, cum minimo dolio vini, olei, aceti, vel porco falso permutabat, eandemq; proponebat, in ducentis, vel trecentis pueris benè dispositis. Et accidit, vt quidā puer, qui principis filius videbatur, pro caseo, & centum personæ pro equo darentur. Ille his sceleratis factis semper ab Anno vigesimo sexto, ad annum trigesimum tertium, inclusuè incubuit, quo usq; nuntius allatus est de diuitijs Perusiæ regionis, quo Hispani profecti ad tempus huic tyrannidi finem imposuerunt. Præteritis tamen aliquibus.

IN INDIIS PATRATÆ. 59

aliquibus diebus, ad enormia facinora, latrocinia, incarcerationes, & maiores contra Deum offensas committendas reuersi sunt, neq; adhuc cessant, ita vt iam trecenta illa terræ milliaria, vt dixi, in quibus tanta erat populifrequentia, inculta, & omnino ferè deserta cernantur.



Particulares, sæultiæ, & crudelitatis in illa regione patratæ,
narrationes, nullus credat. Duas tantum, aut tres, quæ in mente
H 2 veniunt,

60 CRVDELITATES HISPANORVM

veniunt, recensebo. Cum Hispani furiosis suis canibus, Indiorum tam foeminarum, quām virorum vestigia indagarent, occurrit Indiana mulier ægrota, quæ cūm effugere se non posse, quin à canibus laniaretur, cerneret, accepta chorda trabi se suspendit, pede alligato vnius anni, quem ferebat, puerο; neque hoc celerius perfecit, quin canes accederent, & puerum laniarent; à religioso tamen, ante quam moreretur, baptisatus est.

Cum Hispani ex hoc Regno discederent, eorum vnuis, nobilis cuiusdam Indiani vrbis, vel Prouinciæ Principis filium inuitauit, vt secum proficiseretur, cui, cūm responderet, patriam terram deserere, aut relinquere nolle, se auribus eum truncaturum, ni sequeretur, minitatus est. Persistente verò puerο se in patria terra mansurum, euaginato pugione vtraq; aure eum truncavit, cum nec hoc obstante in prima opinione perseueraret, ei nasum, cum superiori labiorum parte, non secus ac si vnguem argutum tantum inflixisset, ridens præscidit.

Hic furcifer obscoenè se iactabat pio cuidam religioso, & tanquam maximis laudibus dignum, in cœlum vsque se efferebat dicens: summoperè se laborasse, vt grauidas multas Indianas redderet, vt postea, cūm venderentur maiorem pecuniam conflaret.

In hoc regno, vel certè in alia Hispaniæ nouæ prouincia hoc accidit, vt Hispano venationi incumbente, canes fame, vt illi videbatur, premerentur; ille igitur infantulo ex amplexu matris arrepto, brachia, & crura absindens, eorum vnicuique partem, qua deuorata trunci postea corporis reliquias simul obiecit. Hic videre est quomodo in sensum reprobum à Deo traditi sint, & quoniam in pretio miseras has creaturas ad imaginem Dei formatas, habeant: Sed iam peiora sequentur.

Reliquas crudelitates & innumerias, & antea inauditas, quæ nec imaginatione quidem comprehendendi possunt, prætermitto, hoc vnum coronidis loco addo: ambitiosis illis, excœcatis, &

tis, & execrandis tyrannis, hac regione, ad Perusij diuitias con-
quirendas, egressis, quatuor monachi Ordinis Sancti Francisci
cum patre Iacobo eò profecti sunt, ut pacificam regionem red-
derent, & suis concionibus ad Christi cognitionem tantarum
crudelitatum, quæ septem annorum continuo spatio, ibi patra-
tæ fuerant, reliquias adducerent. Existimo hos esse, qui anno
trigesimoquarto Mexiconiam prætereuntes, ab Indianis cre-
bris nuntijs sollicitati sunt, ut suam regionem ingrederentur, de
vniusq; Dei, verè Dei, totiusq; mundi Domini, cognitione in-
formarent: idcirco concilia, & congregations indixerunt, ut
scirent, quinam illi essent homines, qui se & fratres, & patres
nuncupabant, quid vellent, in quo ab Hispanis, à quibus tantis
molestijs, & tormentis vexati fuerant, different: ea tandem
conditione eos receperunt, ut soli, non autem cum Hispanis, in-
trarent, quod illis religiosi promiserunt, illis enim concessum
erat, imò expressè in mandatis à nouæ Hispaniæ Præside acce-
perant, ut ita pollicerentur, nec quidquam detrimenti, aut iniu-
riæ Hispanos illaturos. Cœperunt ergò Euangelium Christi, ut
solent, prædicare; sanctamq; Regum Castellanorum intentio-
nem explicare, quorum omnium notitiam, toto illo septem an-
norum spatio, ab Hispanis, nullum nec alium se habere Regem,
quàm eum, qui tanta tyrannide illos opprimebat, acceperant.
Quadraginta tantum diebus ibi manserat religiosus, cùm ecce,
omnia idola, ut flammis darentur, allata sunt: postea proprios li-
beros, quos vt pupillā oculi charos habent, illis, vt institueren-
tur, adduxerunt. Illis etiam & templa, & domos ædificabant. Ab
alijs etiam prouincijs accersiti sunt, ut venirent, & Euangelium
prædicarent, atq; ad Dei, & magni (vt vocabant) Castellæ Regis
cognitionem adducerent. Et ita ab his religiosis persuasi, fece-
runt, quod antea nunquam in Indijs factum fuerat (quidquid
enim tyranni, qui hæc ampla Regna, & Prouincias vastarunt, e-
mentiebantur, id in vituperium, & odium Indiorum fiebat) du-

62 CRUDELITATES HISPANORVM

odecim vel quindecim amplarum regionum, & ampli populi
Principes congregati, separati quisque cum suis subditis, eorum
consensu, & consilio, Regum Castellæ dominationi proprio
motu se subiecerunt, Imperatoremq; tanquam Regem Hispaniæ pro Domino receperunt. In cuius rei testimonium, nescio
quid, quod penes me est, attestacionibus dictorum religiosorum, subsignarunt.

Ita non sine magna fratum religiosorum lætitia, & spe,
aditu patefacto, ad istius Regni, qui ex tanto crudelitatum incendio supererant, incolas, ad Christi cognitionem perducendi: ecce per aliam viam ad illos ingressi sunt, octodecim equites Hispani, & duodecim pedites, secum multa idolorum pondera, quæ in alijs regionibus ceperant, ferentes. Dictorum Hispanorum Dux, illius prouinciarum, quam erant ingressi, quendam dynastam ad se vocauit, eiq; præcepit, ut hæc idola secum sumeret, & per suam regionem, unoquoq; idolo, Indiano, vel Indianæ permuto distribueret, alioquin se in illum bella moturum. Supradictus Dominus, metu coactus, supradicta idola per totam regionem distribuit, cum mandato, ut ea subditi adorarent, omnemq; honorem illis præberent, & in compensationem Indianos vel Indianas in seruitutem mitterent. Indiani territi proprios liberos tradebant, is quidem, qui duos habebat, vnum, qui verò tres, duos dabat. Et ita huic mercaturæ tam sacrilegę finem imposuerunt, sicq; Cacicus Hispanis non dico Christianis satisfecit. Sacrilegorum horum latronum vnum, Ioannes Garcia nomine, grauiter ægrotans, & iam morti proximus, sub lecto duo idolorū onera habebat, cùm autem adesset Indiana quæ illi inserviebat, iussit ne paruo pretio ea idola traderet, ea enim esse optima, nec minus, quàm pro unoquoq; idolo Indium caperet: & ita hoc condito testamento, & ultima voluntate his curis distractus, animam efflauit. Cui autem dubium est, eum iam in inferoru tenebris cruciari? Consideretur iam, qualis sit progressus religionis,

religionis, & qualia præbeant Christianismi exempla Hispani, cum in Americam proficiscuntur, quo honore Deum afficiant, & quomodo laborent, ut ab illis infidelibus colatur, & adoretur. Iudicetur etiam, cuius peccati grauitas maior sit, an Ieroboam, qui peccare fecit Israel, & aureos duos vitulos confici curauit, ut à populo adorarentur, an verò Hispanorum, qui idolorum mercaturam exercent, Iudei, qui tanta scandala excitauit, non absimiles. Hæc sunt Hispanorum facta, qui sæpè, imò sæpiissimè, sua auaritia, & ad aurum cumulandum, vendiderunt, & adhuc vendunt, negarunt, & adhuc negant Iesum Christum Redemptorem nostrum.

Indiani religiosorum missa de Hispanis regionem non intraturis, inania esse cernentes, imò ipsos met Hispanos, aliunde idola, ut venderentur, adsportare, cum tamē sua, ut igne consumerentur, religiosis tradidissent, ut vnicus esset veri Dei cultus, in ipsos religiosos irritati, ad eos accesserunt, dicentes : Quare mentiti estis, falsis vestris pollicitationibus nobis promittentes, Hispanos hanc regionem non ingressuros ? Et quare Deos nostros combussistis, cum alij ex alijs regionibus ab Hispanis adsportentur? præstantnè nostris aliarum prouinciarum Dij? fratres religiosi, ut potuerunt, quamuis vix haberent, quod responderent, eoru animos sedarunt: & ad hos triginta Hispanos se contulerunt, quibus malum ab ipsis patratum declarant, humilibus precibus efflagitantes, ut inde discederent. Quod Hispani omnino denegarunt, & quod improbū est, & flagitium, ab eisdem religiosis se aduocatos, Indianis persuaserunt. Quo cognito, Indiani de occidendis religiosis, consilium ceperunt, qui à quibusdam Indijs moniti, noctu se subtraxerunt, & aufugerunt: sed post illorum discessum, cognita veritate, & Hispanorum malitia, missi sunt nuntij, qui illos quinquaginta miliarium itinere persequerentur, Indianorum nomine rogantes, ut reueterentur, veniamq; petentes.

Religiosi

Religiosi, ut boni Dei famuli, & animarum zelatores, illis fidem adhibentes, reuersi sunt, & non secus ac Angeli de cœlo demissi, recepti. Et cum Indianis, à quibus mille seruitia obtinebant, per quatuor aut quinq; menses manserunt. Cum verò Hispani hinc discedere nollent, quamuis Prorex omnem adhiberet operam, ut illos reuocaret, proditores, & lœsæ maiestatis rei declarati sunt, & quia in sua tyrannide, & nefandis factis perseuerabant, cernentes religiosi, illos, quantumuis sera esset vltio, non tamen inultos remansuros, & timentes ne vltio in propria capita deriuaret, cum etiam quietè, & securè propter continuas incursiones, & assultus Hispanorum concionari non possent, de hoc Regno relinquendo consilium ceperunt, quod lumine, & doctrina destitutum remansit, & hæ animæ præteritis miseriæ & ignorantiae tenebris adhuc hodie inuoluuntur, illis sublato, horum maledictorum Hispanorum culpa, omni remedio, & irrigatione cognitionis diuinæ, non secus ac si aqua teneris adhuc plantis tolleretur, eo enim ipso tempore, quo discesserunt, maxima auditate fidei nostræ doctrinæ amplectebantur.

De Prouincia Sanctæ Marthæ.

1528
1542

PROUINCIA Sanctæ Marthæ, cum vicinis auri fodinis, & agrorum fertilitate diues erat, populusq; ad fodiendum aurum industrius. Quare ab Anno millesimo, quingentesimo, vigesimo octauo, vñq; ad annum millesimum, quingentesimum, quadragesimum secundum eò innumeri tyranni nauigio profecti sunt, suis incursionibus omnem regionem vastantes, & deprædantes, & cædibus eius incolas mitum in modum affligentes omniq; auro spoliantes, qui semper ad naues suas, iam huc, iam illuc se conferentes, recutrebant, & refugium habebant. Et sic has prouincias suis cædibus, & horrendis crudelitatibus maximè vastarunt, idq; communiter in littore maris, & aliquot vici-
nis mil-

nis milliaribus siebat, vsque ad annum millesimum quingentesimum vigesimum tertium, quò figendarum sedium gratia Hispani profecti sunt. Quia verò regio fertilis est, & diues, vario tempore, varij duces, quorum alij, alijs crudeliores existebant, successerunt: ita vt unusquisque conari videretur prædecessorem suum diuersis enormium crudelitatum generibus superare. Et hoc loco supradictum axioma confirmatur. Anno millesimo, quingentesimo, vigesimonono eò tyrannus maximus multis militum cateruis comitatus profectus est, eo animo, yt reliquos suos antecessores facinorum grauitate superaret, & vinceret, qui huic regioni septem annorum spatio multos thesauros abstulit: quo, in exilio, sine pœnitentia mortuo, in eius locum alij tyranni successerunt, qui sanguinolentis suis manibus, & gladiorum impijs mucronibus, reliquos, quibus præcedentium gladij pepercérant, deleuerunt. Tanta desolatione multas prouincias vsitatis crudelitatis modis, affecerunt, Principibusque, & subditis, vt aurum detegerent, tanta tormenta, & tam graues pœnas intulerunt, in eo, diuersis enormium crudelitatum, vt dictum est, generibus, præcessores vincentes, vt ab Anno millesimo quingentesimo vigesimonono usq; in hodiernum diem, ultra quadringenta terræ millaria deuastarint, & omni populo, cuius numero præcedentibus non cedebat, orbárint.

Si decreuisset numero complecti omnes nequitias, cædes, desolationes, iniuitates, violentias, strages, & alia facinora ab Hispanis in hac prouincia in Deum, Regem, & has innocentes nationes, commissa, & patrata, amplissimam historiam conficerem. Sed id, si mihi Deus vitam longiorem concedat, suo tempore fiet; in præsentia verò aliquam partem eorum, quæ Regi Domino nostro, harum prouinciarum Episcopus, rescripsit, recensere sufficiet: Sunt autem litteræ datæ vigesima Maij, Anni millesimi quingentesimi quadragesimiprimi, quibus

66 CRUDELITATES HISPANORVM

» interalia hæc scribit: Dico sacra Maiestas,remediū huic regio-
» ni subueniendi,esse,vt potestate vitricorū liberetur,& tradatur
» marito,qui illam,ea,vt par est tractatione,afficiat,& excipiat,&
» id quo maturius fieri poterit,quod si secus fiat,certus sum,eam,
» attenta gubernatorum tractatione,breui periturā,&c. Sic verò
» paulò post scribit: Ex quib. aptè cognoscet vestra Maiestas,quo-
» modo earū regionū præfecti gubernatione priuari suo merito
» debeant,vt p̄uinciaē alleuiētur:quod si id non fiat,nunquā,meo
» iudicio,conualeſcent.Hoc etiā suæ Maiestati innotescet,in his
» regionib. nulos Christianos,sed Dæmones versari, nulos Dei,
» & Regis seruos repiri,sed legis & Regis pditores. Et certè nihil
» & magis ad pacem ineundā,& ad eorū,qui in pace viuunt,con-
» uersionem,contrarium quàm inhumana,& crudelis tractatio,
» qua ij,q pacificè viuunt,ab Hispanis afficiuntur,q tantū illis fa-
» stidium & nauſcā parit,vt nomine Christiano,illis nihil sit ma-
» gis odiosum,aut detestabile.Christianos enim sua lingua Yares,
» id est,diabulos appellant.Nec profectò sine ratione: eorū enim
» in his regionibus,neq; Christianorum,neq; hominum ratione
» præditorum,sed diabolorum gesta sunt:quò fit,vt Indij cernen-
» tes,hæc tam capitum,quàm membrorum,facta,ab omni huma-
» nitate,& misericordia esse aliena,Christianorum talem esse le-
» gem,taliumq; Deum,& Regem esse authores existiment: velle
» autem laborare,vt contrarium illis persuadeatur, vani sunt,&
» fruſtranei labores,illisq; maior ansa Iesum Christum,& eius le-
» gem irridendi,daretur. Indij verò,qui se armis tuentur,& de-
» fendunt,satius esse ducunt semel mori,quàm sub Hispanorum
» potestate multis mortibus affici.Hæc experientia didici, Cæſar
» inuiſtissime,&c. Hoc præterea paulò post addit: Vestra Mai-
» estas,plures habet in his regionibus seruos,& famulos,quàm ex-
» istimet;neq; enim yllus est miles eorum omnium qui militant,
» qui apertè,& publicè non profiteatur,si prædetur,furetur,de-
» uafet,cædat,vel comburat,suæ Maiestatis subditos ad aurum
obti-

obtinendum, non dicat, se in eo maxima præstare seruitia Ve-,,
stræ Maiestati, dicunt enim illi suam partem obtingere. Quare, „
Cæsar inuictissime, consultum esset, vt Vestræ Maiestas aliquo-,,
rum rigida correctione, & castigatione, se nulla recipere serui-,,
tia, de ea re qua inobedientia, & dedecore Deus afficitur, testa-,,
retur. Quæ ha&tenus relata, ex dicti Episcopi Sanctæ Marthæ „
litteris deprompta sunt, quibus patet, quæ hodie contra inno-
centissimos hos homines, patrentur. Illi bellicosos Indianos ap-
pellant, qui ad montes euitandæ Hispanicæ crudelitatis gratia
confugiunt: & Indios regionis eos vocant, qui infinita homi-
num strage, tyrannicæ, & horribili seruituti deduntur, qua tan-
dem depopulati, desolati, & mortui sunt, vt ex supradictis Epi-
scopi litteris, patet, qui tamen pauca eorū, quæ passi sunt, recen-
set. Indiani huius regionis solēt in hæc verba prorumpere, cum
ducuntur per inuia montium onerati, si forte debilitate, & la-
bore deficiant (tunc enim pedum, & baculoru*m* i&ctibus ceduntur,
illorum dentibus ensium capulæ confringuntur, vt surgant, &
iter sine vlla respiratione persequantur, cum hac increpatione:
O quām malignus es,) in hæc verba, inquā prorumpunt: Omni-
no deficio, occidite me, vitæ finem imponere desidero, & hoc
non sine magnis suspirijs, & vix trahentes ore loquelas (quæ sunt
animi in magnis angoribus & doloribus constituti, indicia) pro-
ferunt. Sed quis centesimam afflictionū, & calamitatum, quibus
hi innocentes ab Hispanis vexantur, partem, verbis, aut sermo-
ne complecti possit? Deus illarum notitiam ad eos peruenire fa-
ciat, qui remedia adhibere, & posse sunt, & tenentur.

De Provincia Carthagena.

Hæc prouincia ab Insula S. Marthæ, Occidentem versus, 50 milliarib. distat, & sita est in regionis Cenusiæ confinijs, unde circa littus maris, vsq; ad sinum Vrabæ in centū milliaria porrigitur, qua verò parte Meridiem respicit in longam terræ longitudinem extenditur: Hæ prouinciæ ab anno 1498. vsque ad annum præsentem horribili tractatione exceptæ, diuersis que

68 CRVDELITATES HISPANORVM

cædibus, vt Sanctæ Marthæ acciderat, desolatæ sunt, sed vt finis breui huic summario citius accedat, eas particulari tractatu persequi nolo, vt detestanda facinora, quibus aliæ regiones deuastatæ sunt, recensere queam.

*De littore Unionum, & Pariæ, deq;
Insula Trinitatis.*

ALittore Pariæ, vsque ad sinum Venecuolæ, exclusiue, quæ sunt ducenta milliaria, Hispani maximas, & mirandas deuastationes fecere: latrocinijs enim, suo more incumbebant, & plures, quo poterant homines, vt eos venderent, seruituti mancipabant, eosq; contra fidem datam, captiuos sèpè deducebant, (neque enim vnquam fidei Indianis datæ, stabant) quamuis tam ab his innocentibus optimè tractati fuissent, & in illorum ædibus tanquam patres, vel liberi recepti, illis, quibus poterant modis inseruientes, & omnium quæ habebant fruitionem, & usum offerentes. Dici vix posset, aut exprimi qualibus, & quantis iniustitijs, & iniurijs, illius littoris incolæ, ab anno centesimo quingentesimo decimo, vsque in diem præsentem excepti sint. Duo tantum, aut tria facinora recensebo, quorum grauitas, ad horrenda reliqua, & omnibus tormentis digna scelera comprehendenda, iudicio viam patefaciet, & aperiet.

In Insulam Trinitatis, quæ & amplitudine, & fertilitate Siciliæ præstat, & terræ continent, ex ea parte, qua Pariam attingit, coniuncta est, in qua & probiores, pro sua qualitate, & virtuti magis dediti sunt incolæ, reliquis Indiæ nationibus, quidam latro profectus est Anno millesimo quingentesimo decimo, sociatus sexaginta, vel septuaginta furciferis: qui statim edictū promulgarunt, vt omnes Indi accederent, & secum in ea Insula viuerent, & habitarent. Indi eos, vt naturales liberos receperunt, & illis tam Domini, quæm subditi magna alacritate inseruiebant,

uiebant, & singulis diebus cibos, qui suffecissent ad alendum multò maiorem numerum, adferebant: hoc enim est moris Indianis huius noui mundi, vt abundantissimè necessaria Hispanis suppeditent. Paulò post Hispani amplam domum construunt, & ædificant, in qua omnes Indiani simul habitarent, sola enim domo eos vti volebant, vt id quod antea decreuerant, executioni mandarent: quod & fecerunt. Cum stramen ligno apponenter, & iam in altitudinem duorum hominū sustulissent, multos incluserunt, operis, vt dicebant, accelerandi gratia, sed verè ne qui foris erant, ab ijs, qui erant domi videri possent, & ita pars domum cum gladijs, ne vllus egredi posset, circundat, pars verò domū intrat: & sic euaginatis ensibus, & gladijs, Indianis nudis, mortem, si se mouerent, minari cœperunt, eosque ligarunt. Si qui autē fuga sibi cōsulere vellent, illicò minutim discerpebantur: aliqui autem, qui partim læsi, partim integri euaserant, cum reliquo populo, qui ædes ingressus non fuerat, centum fortè, vel ducenti numero, sumptis arcubus, & sagittis in aliam domum se receperunt: qui cum in eo toti essent, vt ianuæ ingressum prohiberet, & tutarentur, ignem ædibus alia ex parte Hispani iniecerunt, & ita incendio omnes perierunt. Et hinc cum captiuis, qui erant numero circiter centum octuaginta, quos vincire potuerant, ad Insulam Sancti Ioannis se contulerunt, vbi medium partem, & inde in Hispaniolam, vbi reliquos vendiderunt. Cum antem hunc Capitaneum nequitiae, & proditionis in ipsa Insula Sancti Ioannis insimularem, hoc responso me dimisit: Desiste Domine mihi, hoc in mandatis, ab ijs, à quibus missus sum, habeo, vt quos vi non possem, specie, & colore pacis caperem. Et pro vero, & certo idem Capitaneus mihi retulit, se in sola Trinitatis Insula, patrem, & matrem inuenisse, & hoc maiori sua confusione, & peccatorum aggrauatione, dicebat. Similia infinita commiserunt, miseros hos homines, contra datam fidem, capientes. Considerentur iam hæc facta, & an Indij

70 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

sic capti iustè in seruitutē redigi possint. Aliquando religiosi S. Dominici nostri Ordinis consultarunt de aliquo ex suis in dictā Insulam mittendo, vt suis concionibus Indianos vero lumine, & remedio, quo animæ saluantur, & quo destituti omnino erant, munirent. Religiosum igitur Theologiæ licentiatū, virum & virtute, & sanctitate insignē eò, cum socio laico, miserunt, vt regionem visitaret, cum habitatoribus versaretur, locaq; apta ad construēda monasteria quæreret. Religiosi, vbi appulerunt, tanquā Angeli de cœlo demissi recepti sunt, magnoq; affectu, attētione & alacritate, verba, quæ cū illis tunc tēporis facere poterant (erant enim linguae ignari, & signis vti cogebantur) accipiebant. Accidit, vt post nauis cū qua hic religiosus appulerat, discessum, alia adueniret, cuius milites damnata sua consuetudine, fraude, inscijs, & ignorantib. religiosis, captiuū abducunt, p̄uinciae principem, qui (vel q; illi hoc nomen à religiosis, vel ab alijs Hispanis esset impositū) Alfonsus vocabatur; nam Christianorū nominū appellatione gaudent, statimq; etiā antequā de villa re informati fuerint, baptismo sibi imponi petunt. Ab ijs fraude p̄suasus est dictus Dominus Alfonsus, vt nauē cum coniuge, & alijs quibusdam, fingebarant. n. se conuiuiū celebrare velle, intrarent. Et ita 17. cum Principe, & eius coniuge nauim conscenderunt, confidebat enim dictus Dominus religiosos impedimento fore, quo minus villa molestia afficeretur, neq; .n. Hispanis tantū fiduciæ adhibuisset: Indijs ergo nauim ingressis, p̄fidi Hispani vela ventis dedere, & in Insulam Hispaniolā, vbi p̄ seruis venditi sunt, se contulere. Omnis turbata regio, cùm Dominū, & Dominā deductos esse cernerent, ad religiosos se contulit, & parū abfuit, q; neci eos traderent. Religiosi verò tā iniustū facinus cernentes, maximo dolore comprimebantur, & est verisimile, eos vitæ cedere maluisse, quam pati tanta iniuria Indianos affici, cum illud impedimento esset ne hæ creaturæ verbum Dei susciperent, & crederent. Indiani autē sedati sunt religiosorū pollicitationib. dicebant enim, se prima soluente naue, ad Insulā Hispaniolam litteras

litteras missuros, quibus efficerent, ut Dominus, alijq; qui cū eo erant, restitueretur. Deus illicò nauem misit, ad maiorem eorū, qui gubernabant damnationis confirmationem, qua ad Insulæ Hispaniolæ religiosos scribunt, qui sēpè, & clamant, & protestantur, sed auditores iustitiam denegarunt, prædæ enim Indianorum tam iniustè, & nefandè captorum participes fuerant. Cum religiosi, qui incolis promiserant Dominū Alfonsum intra quatuor menses reuersurum, neq; quatuor, neq; octo elapsis reuerti cernerent, se ad mortem præpararunt, & ad tradendam Christo vitā, cui iam ante Hispaniarū decessum, obtulerant, & sic innocentibus vindictam sumpserunt: existimabant enim religiosos proditionis participes fuisse, partim, quod cernerent illorum promissa de domini intra quatuor menses, reuersione, nullū effectū sortiri, partim etiā quod nullā illius regionis incolæ, inter fratres religiosos, & latrones Hispanos differentiā constituāt. Benedicti igitur religiosi iniustè passi sunt, & idcirco nō est dubium eos fidei nostræ veros esse martyres, & hodie beatos cum Deo in cœlis viuere, à quo, sua obedientia, ad illos populos missi erant, & certū est illos prædicandi, & sanctā fidem dilatandi intentionem, habuisse, illasq; animas saluandi: qui omnes labores, & mortē ipsam, quando offerretur patienter ferre, decreuerant. Hoc etiā, alio tempore, magna tyrannide, & crudelibus malorū Christianorū actibus accidit, ut Indiani duos religiosos Ordinis S. Dominici, morte, cuius fidelis sum testis, ut qui summo miraculo eandē euaserim, sustulerint, qua de re verba facere non decreui, ne grauitate, & horrore facti, terror audi- entib; incutiatur: Quare, quo usq; tempus aduenerit, plixitatis vitandæ gratia, subticebo, & hæc omnia in die iudicij dum Deus latrociniorū tam horribiliū vindictā sumet, apertiora, & clario- ra fient. In his p̄uincijs, in sinu Coderæ, sita erat vrbs, cuius Dominus Higueroto appellabatur, nomē, vel p̄sonis ppriū, vel loci Dominis commune. Hic tam clemens erat, & eius subditi tanta virtute

72 CRUDELITATES HISPANORVM

virtute præditi, ut omnibus Hispanis nauigo appellentibus, bona tractatio, cibi, quies, omnis consolatio adesset, nullum refrigerium deesset. Hic Dominus plurimos morti eripuerat, qui ex alijs prouincijs, in quibus latrocinia sua, & cædes exercuerant, ægroti, & famelici, in eius regionem se receperant, quibus refrigeratis eos saluos, & incolumes in Insulam Vnionum, in qua viuebant Hispani, remittebat, quos, sine vlla illorum mortis cognitione, occidere potuisset. In summa Hispani ædes communnes, & omnium hospitium Higueroti subditos vocabant. Perfidus quidam tyrannus consilium cepit, de affligenda hac, quæ sibi satis tuta videbatur, regione, nauigo ergò eò se contulit, & inuitato hominum magno numero, ut nauim ingrederentur, quod facere solebant fidem Hispanis adhibentes, postquam intrarunt, vela ventis commisit, & Insulam Sancti Ioannis, in qua venditi sunt, petijt. Eodem tempore hanc Insulam appuli, vbi hunc tyrannum vidi, & quod patrarat, mihi relatum est. Illam urbem funditus delevit, quod Hispani reliqui, qui in eo littore deprædari, & excurrere solebant, ægerrimè tulerunt, illudq; scelus abominabantur, quod domum illam perdidissent, in qua, tanquam in proprijs ædibus, hospitio excipiebantur.

Non recitabo infinita scelera, quæ & patrata sunt, & quotidie in ea regione patrantur.

Illi ex hoc mari littore, quod frequenti populo incolebatur, ad Insulas Hispaniolam, & Sancti Ioannis, ultra duos miliones hominum transportarunt, quos postea in dictis Insulis, partim in fodinis, partim alijs laboribus absumperunt, non computato infinito populo, qui antea in Insulis, ut diximus, viuebat, & res est commiseratione digna, & qua corda quantumuis dura, commouerentur, fertilissimum hoc littus omnino expopulatum, & desertum cernere.

Ipsa veritate comprobatum est, eos nullam vñquam nauem his Indianis oneratam ducere, quin tributum tertiaz partis, vndis

vndis persoluant: adde eos, qui cum domi capiuntur, occisione delentur. Harum rerum, finis, quem habent propositum fons est, & origo; opus enim est maxima Indianorum quantitate, ut ingens pecuniæ summa confletur, naues autem modico cibo, & aqua ad paucos alendos instructæ sunt, ne tyranni, qui nauium instructores nuncupantur, in ijs comparandis nimios sumptus faciant. Et vix pro ipsis Hispanis qui naue excurrunt, vietus sufficientes feruntur: quo fit, ut Indiani fame, & siti pressi, occumbant, nec aliud est remedium, nisi, ut maris vndis absorbendi detrudantur. Et pro vero illorum quidam mihi retulit, ab Insula Lucayos ad Insulam Hispaniolam, quæ sunt sexaginta, vel septuaginta itineris milliaria, tantas hac ratione strages editas, ut nauis, sine circino, vel charta marina, sed solis cadauerū fluctuantium vestigijs ducta, eò peruererit.

Postea verò, cum descendunt in Insulam, ad quam vendendi ducuntur, nullus est, si vel minima misericordia dicitur, qui animo maximè non commoueatur, cum videt tam senes, quam fœminas & infantes nudos & famelicos, nimia siti & fame deficere. Postea autem illos, tanquam agnos diuidunt, & patres à liberis, fœminas à viris separantes, turbas decem, vel viginti personarum conficiunt, & sortem in eos iaciunt, ut partem suam accipient detestandi nauium instructores, qui duas, vel tres naues præparant, & armant ad classem piratarum & latronum, qui homines in proprijs ædibus deprædantur, & rapiunt. Quando verò sors cadit in turbam, quæ senem, vel ægrotum capit, is tyrannus, cui obtingit, hæc verba proferre solet: Deuoueatur omnibus diris hic senex, quare illum mihi das? ut humo mandem? Et quare mihi hic ægrotus obtingit? ut de illius cura sim sollicitus? Hinc colligatur, qua in æstimatione Hispanis sint Indij, & vtrum præceptum Dei de amore erga proximum, vnde lex pendet, & Prophetæ peragant, & compleant.

Tyrannide, quam Hispani in Indios extrahendis, & expi-

74 C R U D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

scandis vniōibus exercent, nihile est aut crudelius, aut detestabilius. Inferorum enim aut huius vitæ, quantumuis desperatæ tormenta, cum his nullam comparationem recipiunt, quamuis in extrahendo auro, in suo genere sint durissima. Illos enim in mare, sub aquæ quatuor, vel quinq; vlnarum profunditatē, immittunt, vbi continuo nauigantes, sine vlla respiratione, ostrea, in quibus vniōes generantur, eradicant. Illi cūm retijs, ostreis plenis, vt animum recipient, quandoque ad aquæ superficiem accedunt, quod si diutius paulò quiescendi gratia, miseri immorentur, adeſt carnifex, paruo nauigio vectus, qui multis plagiis eos excipiens, ad aquam crinibus acceptos, reducit, vt expiātioni denuō instent. Illorum cibus est piscis, & ille idem, qui vniōes & panem Cacabi continet, & parvus Mahidum, qui sunt illius Regionis panes, numerus, in quorum primo, parum est alimenti, & substantiæ, alterum verò magna difficultate conficitur, neque adhuc ad famem reprimendam, sufficienter datur. Illorum verò lectus est terra, cum cippo, ne fugiant: Sæpè autem in hac pīscatione, & labore submerguntur, nec postea in vndarū superficie visuntur; Tuberones enim, & Maroxi (monstrorum marinorum, integrum hominem deuorantium, genera) eos interimunt, & comedunt. Consideretur iam vtrum in hoc vniōnum lucro Dei præcepta de amore erga ipsum, & proximum, cum horum miserorum corpora, & animæ coniiciuntur in periculum mortis, obseruentur, & compleantur: proximos enim sine fide, & Sacramentis, sua auaritia, perimunt, vltantis laboribus illorum vitam conterunt, vt breui tempore ex hac vita emigrent, nam omnino est impossibile longum æuum sub vndis, sine animorum receptione, trahere, nam præ nimia frigoris rigiditate sanguinē ore communiter spuentes, moriuntur, quod accidit ex nimia pectoris compressione, quæ ex continua halitus sub vndis retentione, p̄creatur, nimio enim frigore sanguinis profluuiū dignitur. Crines, quos natura sua nigros habent,

habent, in combustum colorem, luporum marinorum crinibus persimilem, mutantur: humeri verò falsugine ita consperguntur, ut monstra potius in hominum forma, quam homines apparent.

Hoc intolerabili labore, vel potius diabolico exercitio, omnes Lucayanos, consueto huius lucri emolumento, consumpsérunt, & ita ex unoquoque Indiano quinquaginta, vel centum coronatos consequebantur. Illos publicè (quamvis iustitia, aliàs iniusta, prohibitum esset) vendebant; Lucayani enim nataores erant peritissimi. Ex alijs etiam prouincijs, multi in haec Insula perierunt.

De Fluvio Yuya Pari.

Alluit hanc prouinciam Fluuius Yuya Pari, qui in alia regio ne ultra, ducentis terræ milliaribus distante, oritur. Per hunc quidam perditus tyrannus, intravit, & multa terræ millaria deuastauit; cædes maximas edidit, multos igne consumpsit, & infinitum Indianorum ædibus pacificè, & sine vlla timoris suspicione viuentium, numerum, gladio deleuit. Tandem mala morte perijt, eiusq; omnes copiæ per se ipsas deletæ sunt, eius deinde nequitijs, & crudelitatibus multi successere, & adhuc quotidie destruentes, & cædentes, ad inferosq; animas filij Dei sanguine redemptas mittentes, profiscuntur.

De Regno Venecuelæ.

Anno 1526. Rex Dominus noster, quorundam fallacijs persuasus (solent n. Hispani damna & detrimenta, quæ Deus, animæ, & Indiæ status recipiunt, illi celare, & occultare) Regnum Venecuelæ, quod Hispaniarū regno amplitudine, & longitudine præstat, cū eius gubernatione & plenaria iurisdictione, certis capitulationibus & conventionibus quibusdam mercatorib. Germanis commisit. Qui hanc regionē cum 300. hominib. ingressi

sunt, ibiꝝ; comem, & benignum populum inuenere, quales etiā sunt in reliquis Indiæ regionibus, ante quam ab Hispanis vlla iniuria afficiantur. Isti nulla comparatione crudeliores reliquis, de quibus locuti sumus, extitere, se tygridibus ferocibus, & lupis, leonibusq; inhūmaniores præbentes, iurisdictionem enim huius regionis habebant, & iccirco liberius eam possidentes, maiori cura, & auaritia, in practicis, & modis cumulandi, & deprædandi auri, & argenti, inuigilabant, in eo omnes antecessores, reiecto omni, Dei, & Regis timore, superantes, imò obliuioni tradentes se homines esse natos.

Incarnati hi Diaboli deuastarunt, & desolarunt quadrinuenta millaria terræ fertilissimæ, quæ Prouincias maximas, & mirabiles, conualles amplissimas, quæ in longitudinem quadraginta milliarium extendebantur, & magnos pagos, auro argentoq; fertilissimos capiebant. Tantas, & diuersas regiones deleuerunt, vt nullus tantæ clavis nuntius superfuerit, nisi fortè aliqui in cauernis, & visceribus terræ latitantes gladiorum inhūmanos, & sanguinolentos mucrones effugerint, & euaserint. Nouis, & inusitatibus crudelitatum, & tormentorum generibus, eos quatuor, vel quinque millions animarum destruxisse, & ad inferos misisse, existimo. Neque adhuc hodie infinitis suis sceleribus, & facinoribus, finem imponunt. Tria, aut quatuor, quibus de reliquis destructionibus, & desolationibus, quas patrarent, iudicium fieri poterit, recensebo.

Summum totius prouinciæ Dominum, vt aurum ab eo emungerent, captiuū ceperunt, confessiones tormentis quærentes, q; euadens ad montes configit, & idcirco subditi in montib. inter dumeta syluarū latitantes, ad seditionem, & tumultū concitati sunt. Hispani persequuntur, & multos delent, illi verò, qui viui in eorum potestate deuenerunt, publicè per præconem, pro seruis venditi sunt. In multis, imò in omnibus prouincijs, ad quas ante supremi Domini captiuitatem, peruenere, ab India-

nis can-

nis cantibus, & saltationibus, & ingentibus auri donis recepti sunt, ensium autem mucronibus, & horrendis stragibus remunerati, & compensati fuerunt. Aliqua die, cum honoris gratia, obuiam procederent Hispanis; Capitaneus, & tyrannus Germanus eorum infinitum numerum in straminea domo, conuocari, & congregari, posteaque membratim discerpi, iussit. Sed quia in superiori ædium parte trabes erant, quas, ad inhumarum manuum sanguinolentos mucrones fugiendos, consenserant (ob belluas crudeles) misit gubernator, qui in eas ignem injicerent, ut ita viui comburerentur. Quare tota regio, incollis in montibus salutem quærentibus, solitaria, & deserta remansit.

Accesserunt ad amplam aliam prouinciam Sanctæ Marthæ confinem, ubi Indios in suis pagis, & ædibus, priuatis negotijs, pacificè incumbentes, inuenerunt, ubi diu habitantium impensis viuentes, manserunt, & Indiani ita inferuiebāt, ac si ab illis aut vitam, aut salutem recepturi fuissent, tanta patientia ordinarias oppressiones, & continuas importunitates, quæ ab ullo vix ferrentur, tolerantes, ut dici non possit: adde etiam unicum Hispanum una die, quod per mensem familiæ, quæ decem personas contineret alendas, sufficeret, deuorare. Tunc temporis Indiani innumera auri summa eos donarunt, multaque dona, & innumerabilia seruitia praestiterunt. Tandem cum abitum molirentur isti tyranni, in solutionem bona tractationis ab Indianis acceptæ, hoc modo eos tractare decreuerunt: Germanus gubernator tyrannus, & ut credimus, hereticus (nam nec unquam aderat Missæ, nec alijs adesse permittebat, cum multis Lutheranismi euidentibus signis) iussit, ut omnes Indiani cum fœminis & liberis, si fieri posset, caperentur, & in ampio aliquo loco concluderentur, illisque indicaretur, & significaretur, ut qui cunque libertati mancipare se cuperet, iniusti gubernatoris arbitrio, aut certo pretio sibi, coniugi, & vnicuique liberorum im-

78 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

posito, se redimeret. Et ut magis negotium acceleraret, prohibuit, ne ullus cibus ante persolutam auri, quod pro pretio redemptionis petebatur, summam, illis propinaretur. Plurimi ad premium redemptionis persoluendum domum mittebant, & se, ut poterant, redimebant, ut negotijs, quæ circa viatum quærendum versantur, vacarent: sed ad eosdē, paulò post aliquos prædones, & latrones mittebat, qui eos, iam semel captiuitate solutos seruituti iterum manciparent. Iterum ad supradictum locū ducūtur, ut fame, sitiq; pressi secundò se redimere, cogerentur. Et ita multi illorum ter, quaterue capti, & toties redempti sunt. Alij verò, qui tantæ summae satisfacere non poterant, in dicto loco conclusi, fame perierunt. Et hoc modo prouincia populi, auriq; ditissima, desolata est, quæ conualem quadraginta milliarium habet, in qua talis combustus est pagus, qui mille ædes caperet. Hic tyrannus vterius procedere decreuit, magno desiderio, inferorū Perusij, ex hac parte detegendorū, distentus. Ad quod iter infinitos Indianos immensis ponderibus oneratos, cathe-nisq; vincitos, assumpsit. Quod si aliqui aut fame aut labore deficerent, capite illicò truncabātur, ne Hispani nimium laboris in cathenis aperiendis, susciperent, & ita truncum corpus vna ex parte, & caput ex alia decidebat, onus deficientis diuidebatur, & alijs imponebatur. Si prouincias, quas desertas reddidit vrbes & loca, quæ combussit, (omnes enim ædes erant stramineæ) crudelitates, & particulares, quas patrauit, cædes, enumerarem, quamuis veritati non repugnaret meus sermo, tamen fides non adhiberetur, & animos in stuporem traheret.

Hanc ipsam viam secuti sunt aliij tyranni, qui Venecuela, & prouincia Sanctæ Marthæ (eodem consilio detegendæ: Sacratæ ædis aureæ Perusini) soluerant qui ita combustam, expopulatam, desertam, & deuastatam regionem, quæ & fructibus, & populo fertilissima fuerat, inuenerunt, ut ipsimet, quamuis crudeles tyranni, tantarum deuastationum vestigia mirarentur, & stuperent.

Hæc

Hæc omnia, multaq; alia testibus à fisco Consilij Indiani probata sunt, & probations ab eodē consilio asseruantur, quamuis execrandorum horum tyrannorum nullum combuferint, vt nihil sit omnino, q; de magnis deuastationibus, & malis, quæ ab illis patrata sunt, probatum est: nam qui huc vſq; in India viixerunt iustitiae ministri, magna, & damnata sua cœcitate, non multum solliciti fuerunt de examinandis delictis, & cædibus, quas dicti tyranni, & committunt, & commiserunt, nisi quòd dicant: Quia talis, & talis, malè, & crudeliter Indios tractauit, tanta summa coronatorum ex annuo Regis reditu diminuta est; & illis hæc generalis, & confusa probatio, sufficit ad repressionem tantorū facinorum. Neq; etiā, quantumuis paucæ sint, vt decet, verificantur, neq; illis tantum authoritatis, & ponderis, quantū deberent, tribuunt: nam si officio erga Deum, & Regem, satisfacerent, inueniretur, vltra tres auri millions Germanos tyranos Regi furatos esse, dicta enim regio Venecuelæ, cum quadringentis terre, quam deuastarunt, milliaribus, felicitate, vt dixi, & auri diuinitijs, nulli regioni cedit, atque ita ab hinc septendecim annis, quibus hi, & Dei, & Regis hostes has regiones depopulari, & destruere cœperunt, Regi vltra duo auri millions, ex annuo reditu, in hoc Regno, erepti sunt, neque est sperandum, hæc detrimenta, quandiu mundus stabit, reparari posse, nisi Deus, insigni aliquo miraculo, tot millia hominum, quot defuncta sunt, suscitaret. Et hæc sunt Regis temporalia damna. Consultum etiam esset damna, dedecora, maledicta sacrilega, & infamias, quibus Deus affectus est, considerare. Quomodo autem possent recuperari, & compensari tam multarum animarum, quæ horum brutorum, tyrannorum, vel Germanorum crudelitate, & avaritia, in inferis cruciantur, damna? De illorum autem nequitia, & crudelitate hoc vnicum conclusionis loco addam, nempe ab eo tempore, quo hanc regionem ingressi sunt, vſq; in præsentem diem, hoc est septendecim annis, eos multis naues

Indianis

80 CRVDELITATES HISPANORVM

Indianis oneratas, vt venderentur, ad Insulas Sanctæ Marthæ, Hispaniolum, Iamaycam, & Sancti Ioannis remisisse, & ad minimum vnum millionem hominum vendidisse, & adhuc hoc anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo mittunt, hoc vidente, & sciente Regio huius Insulæ consilio, quod quidem videre se, quod maximè videt, dissimulat, patitur, & fauet: & reliquis sceleribus, & deuastationib. infinitis, quæ in hoc toto terræ continentis littore, quod in longitudinem quadringtonitorum milliarium protrahitur, quod adhuc est, cum Veneçuela, & Sancta Martha sub eius iurisdictione oculos claudit, cui rei mederi, & impedimento esse potuisset Indianos in seruitutem redigendi. hæc sola causa extitit, peruersa nempe, execrata, & obstinata horum tyrannorum voluntas, & desiderium aurum cumulandi, diuitiasq; congregandi, quod illis, cum reliquis, qui in Americam profecti sunt, est commune: hos enim agnos ex ædibus vi trahentes, cum fœminis, & liberis in captiuitatem deducebant, horrendis, qui superius relati sunt, modis eos affligentes, eisq; Regium stigma, vt seruis, infigentes.

De Prouinciis eius terræ, qua floria appellatur.

IN has Prouincias tres tyranni, diuerso tempore ab Anno millesimo quingentesimo decimo, vel vndecimo profecti sunt, vtijsdem actibus, quibus alij, & eorum duo in alijs regionib; incumberent, vt sanguine & destructione sui populi maiores dignitates, & officia, quam illorum merito conuenirent, consequerentur, tandem omnes mala morte sublati sunt, & ædes, quas olim sanguine humano, quod de uno quoque horum trium testari possum, struxerant, & ædificauerant, cum illis perierunt, & eorum memoria, de facie terræ, ac si nunquam extitissent, deleta est. Illi valde turbatas, & confusas has regiones reliquerunt,

ncc

nec minorem infamiam, certis, quas patrarunt, cædibus, nemini inusserunt, quamuis non multæ sint; Deus enim antequam plures committerent, vita eos priuauit, & eorum, quæ & scio, & vidi, malorum, in alijs Indiæ partibus, patratorum, castigationē, & vltionem, in hunc locum reseruarat. De quarto verò tyranno, qui benè instructus nuper anno millesimo quingentesimo trigesimo octavo in hanc regionem venit, ab hinc tribus annis nullus nuntius: Certi sumus eum primo in regionem introitu crudeliter se gessisse, & quasi in ecstasim incidisse. Quod si vitæ supersit, cum suis, innumerum populi numerum, si tamen in via offendit, destruxit, & desolauit, ille enim inter omnes eos, qui maiora damna, facinora, & Regnorum, prouinciarumq; cum socijs deuastationes commiserunt, crudelitate insignis est, quare Deum illi, quem alijs finem concessisse arbitror.

Tribus, vel quatuor annis, postquam, quæ recensui, accidissent, earegione, reliqui tyranni qui cum hoc maiore tyranno, qui ibi extreum diem clausit, profecti erant, soluerunt, quorum inhumanorum hominum crudelitates, & scelera, quæ eo viuente, & post miseram eius mortem contra hos innocentes Indianos, & nulli nocentes patrauerant, intelleximus, quæ tantæ fuerunt, ut ijs regula, & axioma, quod in principio proposuimus, confirmetur, nempe eos, quò ulterius in destructione, perditione, & desolatione harum regionum, & earundem habitatorum procederent, eò maiores, & notabiliores crudelitates, & iniquitates commisisse. Sed quia tædet me tam execrabilia, & sanguinolenta, non hominum, sed belluarum acta, recensere, in eorum, quæ subsecuta sunt, narratione, diutius immorari nolo.

Amplum populum, sapientes, moratos, & benè constitutos homines inuenere, quorum tantas strages, suo more, edidere, ut eorum animis, terror maximus incuteretur, magnis angoribus, magnis ponderibus, tanquam bestias, eos onerabant. Si

verò aliquis nimia defatigatione deficeret, ne nimium laboris in catherinis aperiendis sumerent, ante quam ad defatigatum peruenirent, proximum capite truncabant, sicq; ut alibi saepè factū retulimus, truncū corpus vira ex parte, & caput ex alia parte decidebat. In pagum quendam intrantes magna lætitia, & exultatione ab Indians recepti sunt, qui cibos, quo usq; saturarentur, illis proponebant, & ultra sexcentos homines ad ferenda onera, & impedimenta, bestiarum more, & ad equos curandos concesserunt. Hispanis discedentibus, quidā Capitaneus tyranni maioris consanguineus, vt populum non dissidentem deprædatur, reuersus est, & Regem prouinciae lancea perforatū, occidit, multasq; alias crudelitates commisit. In alio pago, cuius incolæ illis videbantur viciniores, & vigilantiores propter horrenda scelerata, quæ ab illis patrari audierant, omnes & paruos, & magnos, iuuenes & senes, dominos & subditos, nulli parcentes, lanceis & ensibus, vita priuarunt.

Tyrannus maior, naso, & labijs ad barbam usq; magnum Indianorum numerum (narrantur ultra ducenti fuisse) quos ex quodam pago aduocauerat, vel certè sponte non vocati, venerant, truncari iussit. Et ita in hoc misero statu, & doloribus, stilante sanguine, eos remiserunt, vt operum, & miraculorum, quæ ab his prædicatorib. in sancta Catholica fide baptisatis siebant, nuntij existerent.

Iudicetur iam de amore, quo tales homines in Christianos feruntur, qua ratione credant Deum esse, quem bonum, & iustum, legemq; quam profitentur esse sine macula, iactitant, & prædicant. Maxima sunt mala ab his sceleratis hominibus, perditionis filijs, patrata. Tandem, sineulla pœnitentia, perditus hic Capitaneus obiit, nec dubitamus eum in infernum tenebris sepultum iacere, nisi tamen Deus illius, secundum immensam suam misericordiam, & clementiam, non autem secundum illius merita malis execrandis contaminata, misertus fuerit.

De

De Flumine Platæ, hoc est, argenti.

AB anno millesimo quingentesimo secundo, vel tertio, aliqui Capitanei, quatuor, vel quinq; itinera ad fluuium Platæ suscepserunt, qui magna regna, & prouincias, hominesq; benè dispositos, & rationis capaces, continet. In genere quidem scimus eos maxima damna, & cruentas cædes commisisse: sed cum ab Indijs, de quibus communior est sermo, longè distent, singulare nihil, aut particulare recensere possumus. Non dubitamus tamen eos ijsdem operibus, quibus alij in diuersis regionibus ad huc hodie dant operam, incubuisse, & adhuc incumbere: ijdem enim sunt Hispani, & multi, qui alijs executionibus adfuerunt, & etiam profecti sunt, omnesq; vnum, eundemq; scopum propositum habent, vt diuites, & potentes fiant, quod consequi nō possunt, nisi eundem ordinem, quem alij sequantur, & eandem viam occidendi, prædandi, & Indianos destruendi, calcen.

Postquam, quæ superius dixi, scripsisse, pro vero mihi relatum est, eos in illis regionibus magnas prouincias, & Regna deuastasse, in hos miseros homines maximas cædes, & crudelitates horrendas perpetrantes, quibus, reliquis, vt qui longè ab Hispania distantes, maiorem habuerint commoditatem, insigniores, & præstantiores se præbuerunt, & inordinate omni iustitia seposita, vixerunt, quæ nulla est in omnibus Americæ regionibus, vt ex supradictis, sufficienter appareat. Inter infinita autem, quæ postea sequentur, scelera, hoc etiam in consilio Indiae prælectum est. Quidam gubernator suis militibus in mandatis dedit, vt in quendam pagum se conferrent, vbi si victus denegaretur, omnes incolas interficerent. Hac autoritate nitentes milites profecti sunt, & quia Indiani illis se dedere noluerunt, tanquam hostibus, timētes potius ne eos viderent, quam quod liberalitas deficeret, ultra 5000. hominū, gladijs usurā vitæ eripuerunt. Item certus hominum in pace viuentium numerus, se

illius seruitijs obtulit, fortè fortuna hi à gubernatore erant aduocati, qui cum diutius paulò remorati essent, vt horribilem terroris notam, illis infigeret, iussit, vt Indijs, quos pro hostibus habebant, traderentur, qui miris clamoribus, & fletibus eos rogabant, vt propria illorum manu potius interficerentur, quàm vt hostibus traderentur, & cum domo in qua erant, egredi nolent, omnes membratim discerpti sunt, clamantes, & dicentes:

” Nos accedimus, vt vobis in pace inferuiamus, & nos occiditis,

” sanguis noster his parietibus infixus manet, vt testimonium de

” iniusta nostra morte, & vestra crudelitate perhibeat. Certè hoc facinus commemoratione, sed potius commiseratione est dignum.

*De magnis Regnis, & amplis Pro-
vinciis Perusij.*

Anno millesimo quingentesimo trigesimo primo, magnus tyrannus, cum quibusdam, in Regna Perusij, ijsdem titulis, eademq; intentione, & principio, quo reliqui, ingressus est, & quidem, cum vnum esset, ex ijs, qui in cædibus, & crudelitatibus, quæ in terræ continenti ab Anno millesimo quingentesimo decimo, commissæ sunt, se exercuerant, incrementum crudelitatum, cædium, & latrociniorum capiebat, & vrbes, pagosq; (vir nullius fidei, vel veritatis, deuastans, & destruens, ciusq; incolas cædens, causa extitit tantorum malorum, quæ postea in illis regionibus, subsecuta sunt, quorum narrationem suscipere, & ad viuum, legentium oculis, vt decet, representare omnino impossibile foret, quo usque apertius, & clarius in die Iudicij omnibus apparebunt, & innotescerent. Quod ad me attinet, si aliquorum deformitatem, qualitatem, & circumstantias describere aggrederer, fateor me tanto oneri non posse, vt decet, satisfacere.

Primo suo introitu, aliquot pagos deuastauit, & in ijs magnum

gnum auri pondus deprædatus est. Cum in Insulam dictis regionibus vicinam aliquando se contulisset, huic Insulæ nomen Pugna, quæ per amœna erat, & populi frequenti culta à Principe, & populo, tanquam Angelus de cœlo demissus, receptus est. Postea verò, cum sex mensibus clapsis Hispani omnem viçtum consumpsissent, eis frumenta, quæ in locis subterraneis ad tempus sterilitatis, vel ariditatis, pro se, coniugibus, & liberis, afferuabant, detexerunt, & aperuerunt, multisq; lacrymis, & fletu, vt pro arbitrio vterentur, obtulerunt. Eos autem, in fine ita remunerarunt, vt gladijs, lanceisq; infinitum eorum numerum peremerint, eosq; qui viui venerant, in eorum potestatem, seruituti manciparint, cum immensis alijs crudelitatibus, quas in expopulatione, & desolatione huius Insulæ commiserunt.

Inde in Insulam Tumbalam, quæ in Terræ continentis sita est, proficiscuntur, vbi quotquot in eos inciderunt, morte affetti sunt. Et quia populus horrendis eorum factis stupefactus fugebat, rebellionis in Regem Hispaniæ eum insimularunt. Iste tyrannus hac industria in suis actis vtebatur: omnibus ijs, quos capiebat, vel qui auro, argento, & alijs rebus illum donabant, iubebat, vt semper adferrent, quo usque eos omnibus rebus destitutos cernebat. Tunc se eos pro vasallis, & subditis Regis Hispaniæ recipere dicebat, illisq; blandiebatur; & duplice tuba se eos deinceps non capturum, nec vlla iniuria affecturum, proclamabat: licitum esse existimans eos deprædari, & tam impijs, & abominandis nuntijs terrere, antequam sub Regis protectione eos receperisset, ac si ab eo tempore, quo sub Regis protectione receivedissent, eos non esset deprædatus, nullisq; malis oppressisset, aut destruxisset.

86 CRUDELITATES HISPANORVM



Paulò post Rex, & supremus Imperator omnium horum
regnorum, Ataliba nomine, magnas ducens copias hominum
nudorū, & ridiculis armis vtentium, ignorans quales essent Hi-
spanorū mucrones, quales lancearum ictus, & equorum, quorū
v̄sus penitus erat illi incognitus, & inauditus, vires, & Hispanos,
ipsis diabolis, aurum, si haberent, surripere posse, ad locū, in quo
tunc temporis agebant, accessit, dicens; Vbi sunt isti Hispani, ac-
cedant, hinc non mouebo pedem, quo usque subditorum, quos

occisi-

occiderunt, pagorum, quos in cineres redegerunt, mearumq; diuitiarum, quas deprædati sunt, rationem reddiderint. Hispani ei obuiam procedunt, infinitum hominum numerū cädunt, ipsiusq; Regis, qui lectica portatili ferebatur, personā capiunt. De eius redēptione tractauit: Rex se quatuor millions corōnatorum daturum, pro redēptionis pretio, promittit, & quindecim numerantur: illi se relaxaturos pollicentur, sed omni fide, & veritate postposita (vt fidei Indianis datæ, nunquam stererunt) suo Imperio populū congregari, falsò illi imposuerunt. Rex verò respondit, in tota regione, ne folium quidem in arbo-re sine authoritate sua, & voluntate moueri, quod si aliqui congregarentur, eos debere credere hoc non sine Imperio suo esse factum, se esse captiuum, & in eorum potestate situm, vt sibi vitam eriperent. Hoc nō obstante, de eo viuo comburendo consilium ceperunt, & paulò post, sententiam tulerunt, sed aliquorum precibus Capitaneus eum strangulati iussit, & postea in ignem conijci. Rex sententia mortis intellecta, dicebat: Quare me comburitis? quid patraui? nonne libertatem mihi restituere, modò aurum darem, promisisti? nonne maiorem summam quām promiseram, dedi? Sed quia sic placet, mittite me ad vestrum Hispaniæ Regem: & huiuscmodi multa ad confusio-nem, detestationemq; iniustitiæ Hispаниæ, proferens, combustus est. Consideretur hoc loco ius, & titulus huius belli, huius Principis captiuitas, sentētia, & eius mortis executio, & conscientia, qua hi tyranni ingentes thesauros, quos in his regnis huic regi, & alijs infinitis dynastis surripuere, possideant. Quantū autem ad innumerās, & enormes crudelitates, ab ijs, qui le Christianos nuncupant, in extirpatione huius populi commissas, hic aliquas recensebo, quas in principio vidit q.dam frater Ordinis S. Francisci, & litteris, nomine sigilloq; suo, munitis, affirmauit, eos ad aliquas illarū regionū prouincias, & ad Regnū Castellæ, mit-tens: quarum antigraphum eius manu subsignatum, penes me habeo, quo hoc continetur:

Ego

„ Ego frater Marcus de Xlicia, Ordinis Sancti Francisci, o-
 „ mnium fratrum eiusdem Ordinis in Prouincijs Perusij præfe-
 „ ctus, qui sum ex primis religiosis, qui has terras, cum Hispanis
 „ ingressi sunt, dico, certum perhibens testimonium eorum, quæ
 „ meis oculis vidi, & quæ præcipue tractationem, huius regionis
 „ incolarum, concernunt. Primo testis sum oculatus, & certam
 „ habeo cognitionem, hos Perusij incolas, esse gentem, quæ & co-
 „ mitate, & clementia, & amore erga Hispanos reliquis Indianis,
 „ præstet. Et vidi eos abundanter aurum, & argentum, & gemmas
 „ Hispanis dantes, eisq; innumera seruitia præstantes. Neq; Indij
 „ vnquam bella mouerunt, ante quam infinitis iniurijs, & crude-
 „ litatibus affecti, ad id coacti fuerint: è contrario Hispanis omni
 „ amicitia, & honore in pagis receptis, & victum, & tantum nu-
 „ merum masculorum, & foemellarum, quantum ad suum serui-
 „ tium petierint, præstitisse.

„ Item sum testis, quod nulla ab Indijs data occasione, Hi-
 „ spani quamprimum has terras intrarunt, ipsorum maximum
 „ Cacicum Atalibam totius regionis Principem, postquam ab eo
 „ ultra duos auri millions, accepissent, & eius prouincia, sine villa
 „ resistentia, in eorum potestatem venisset, igne combussisse.
 „ Quem in eodem supplicij genere secutus est Cochilimaca eius
 „ Capitaneus generalis, qui cum alijs dynastis cum pace venerat.
 „ Idem paucis post diebus cuidam dynastæ prouinciae Quitoniæ
 „ accidit, qui etiam nulla sua culpa, nec minima occasione data,
 „ combustus est. In iustè etiam Schaperam Canariorum Princi-
 „ pem combusserunt. Pedes etiam Aluidis omnium, prouinciae
 „ Quitoniæ, dominorum maximi, igne consumperunt, varijsq;
 „ alijs tormentis affecerunt, vt aurum Atalibæ, cuius, vt postea ap-
 „ paruit, omnino erat ignarus, indicaret. Quitonium etiam
 „ Cocopagangam, omnium Quitoniæ prouinciarum guber-
 „ natorem, qui Sebastiani Bernalcacari, gubernatoris Capitanei,
 „ precibus victus, in pace venerat, quod petitum aurum non
 darer,

daret, cum multis alijs Cacicis, & præcipuis Dominis combus-
serunt, Et vt intelligo, talis erat Hispanorum intentio, vt nullus
dynasta, aut satrapa in tota regione supereasset.

Item affirmo me proprijs oculis vidisse Hispanos, nulla a-
lia ratione motos, nisi quod ita illis in mentem venirent India-
nos, & Indianas manibus, naso, & auribus truncasse, & id tam di-
uersis in locis, & regionibus, vt eas recensere nimis longum, &
prolixum foret. Et vidi Hispanos canes in Indios emittentes, vt
illos deuorarent, & ab illis tantum ædium, & pagorum numerū
combustum, vt recenseri non possit. Hoc etiam verum est, illos
ex amplexu matrum pueros abripuisse, & eos brachijs sumen-
tes, quo longius poterant proiecisse. Et alias multas crudelitates
commiserunt, quæ me solo visu terrebant, & quas longum esset
enumerare.

Item affirmo Hispanos in tribus domibus tantum India-
norum numerum, quantum illæ capere poterant, congregasse,
& conuocasse, in quas, nulla data occasione, vel minima causa,
ignem iniecerunt, & omnes ad vnum combusterunt. Accidit,
autem, vt quidam presbyter, nomine Ocana, puerum flammis,
eriperet, quod cernens Hispanus, ipsi illum abstulit, & in medi-
um flamarum coniecit, vbi cum alijs statim in cineres reda-
ctus est, qui Hispanus ea ipsa die, qua hoc patrauit, castra repe-
tens subitanea morte, in itinere concidit, & de eo non inhu-
mando consilium dedi.

Item vidi eos ad Cacicos, & principales Indianos misisse,
vt in pace, & securitate accederent, illis clientelæ diplomata,
promittentes, qui cum aduenirent, statim comburebantur. Illi,
duos me præsente exusserunt, alium Andoniæ, alium Tumba-
læ, nec tantum potui meis sermonibus, & prædicationibus effi-
cere, vt flammis illos eriperem. Et hoc secundum Deum, &
conscientiam dico, quantum potui cognoscere, nunquam Pe-
rusij incolas contumaciam, & rebellionem excitasse, aut com-

90 CRUDELITATES HISPANORVM

„ mouisse, quamuis, vt vnicuiq; est manifestum mala tractatione,
„ & crudelibus tormentis afficerentur. Et meritò, Hispanis fidem
„ fallentibus, veritatemq; prodentibus, & tyrannicè contra omne
„ fas, & ius, eos, cum omni regione destruentibus, & innumeris
„ damnis sufficientibus, se ad mortem potius præpararunt, quàm
„ adhuc semel in tantas miseras incidere.

„ Item & relatione ipsorum Indianorum, dico, maiora au-
„ ri pondera adhuc esse abscondita, quàm in lucem hactenus pro-
„ dierint, quæ propter iniustias, & crudelitates Hispanorum de-
„ tegere noluerunt, nec detegent, quandiu hac tyrannica tra-
„ tione excipientur, sed satius ducent, cum alijs mori. In quo De-
„ us Dominus maximè offensus est, & Regi mala seruitia præstata
„ sunt, defraudatus enim est hac regione, quæ ad Castellam alen-
„ dam sufficiebat, ad cuius recuperationem magna difficultas,
„ impensæq; maximæ desiderantur.

Et huc vsq; ipsamet religiosi verbare censui, quæ Episco-
pus Mexicanensis rata habet, qui testatur dictum fratrem Mar-
cum, quæ superius relata sunt, affirmasse, & asseuerasse.

Hic consideranda sunt, quæ dictus religiosus vidit, namq;
per quinquaginta, vel centum regionis millaria, spatio nouem,
vel decem annorum peregrinatus est, cum pauci adhuc Hispani
in illis regionibus viuerent, sed postea ad aurisonum quatuor
vel quinq; millia aduentarunt, qui per magna Regna, & prouincias
longitudinis 500. & 600. milliarium sparsi sunt, quas omni-
no desolarunt, eadem, & crudeliora, quàm quæ supra narrata
sunt, perpetrantes. Verè ab eo tempore in præsentem vsq; diem
maiores millies animarum numerum, quàm ille recensuerit,
destruxerunt, & minore Dei, & Regis timore, minoriq; miseri-
cordia partem maximam generis humani deleuerunt, atque in
his regionibus ultra quatuor hominum milliones violenta
morte affecerant.

Paucis post diebus iaculati sunt telis arundineis, potentem
Reginam

Reginam vxorem Elingui, penes quem adhuc hodie illius Regni Imperium versatur, quem Hispani cum capere vellent, ad rebellionem concitarunt, & rebellis manet. Reginam illius coniugem ceperunt, & contra omne ius, & rectum, illam, quæ, ut ferebatur, erat grauida, dicto modo, cæde mulctarunt, in id tantum, ut molestiam marito parerent. Si particulatim cædes, & crudelitates, quæ commissæ sunt, & adhuc hodie patrantur in Perusia ditione, nobis recensendæ essent, procul dubio tam stupendæ, & tanto in numero inuenirentur, ut illis, omnia, quæ de reliquis Indiæ partibus diximus, & grauitate, & numero cederent.

De novo Regno Granatae.

1539
Anno millesimo quingentesimo trigesimo nono multi ty-
ranni Venecuela, S. Martha & Carthagena soluentes ad cō-
quisitionem Perusij concurrebant, & cūm multi alij ex eadem
regione, vltierius progredientes, hanc penetrare conarentur,
recentis à Carthagena, & Sancta Martha milliaribus prouinci-
as admirandas, terras fertilissimas, populo, ut reliquæ Indiæ par-
tes, clementissimo instructas, & auri gemmarumq; quæ Smar-
agdi appellantur, ditissimas, inuenere. Quibus prouincijs no-
men noui Regni Granatae imposuerunt, quia tyrannus, qui pri-
mus in has regiones appulit ex Regno Granatensi, quod est in
his partibus, ortum ducebat. Et quia illi, qui eas prouincias de-
prædabantur, erant viri iniqui, & crudeles, insignes laniones, &
sanguinis humani profusores, qui tantorum scelerum, quæ in
Indijs patrata sunt, usum habebant, & experientiam, idcirco di-
abolici illorum actus tanti sunt, & tanto in numero, & circum-
stantijs tam graues redduntur, & horrendi, ut omnia facinora,
quæ ab alijs, & ab ipsiis met in alijs regionibus patrata sunt, supe-
rent. Aliqua eorum ex infinito numero selecta, quæ his tri-
bus annis patrarunt, recensabo, & feligam. Quidam guber-

92 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

nator, quod ille, qui nouo Granatæ regno deprædabatur, eum deprædationum, & cædium socium admittere nollet, inquisitiōnes & probationes, multis testibus confirmatas confecit, qui- bus probat cædes, & homicidia, quæ ille commisit, & in quibus committendis usq; in præsentem diem perseuerat, quæ in Con- silio Indiæ lectæ sunt, & hodie adhuc affluerantur.

In dicta inquisitione testes deponunt, cum omnia hæc re-



gnz

gna pacifica essent, Indijs Hispanos inferuiuisse, & continuo suo labore in terris colendis vitam quæsiuisse, illis multum auri, & gemmarum, ut sunt Smaragdi, & eorum, quæ poterant, & habebant, adferentes, vrbibus, & dominationibus inter Hispanos diuisis, in quib. obtinendis, vel maximè student, est enim comodus modus scopum, quem sibi habent propositum, nempe aurum, attingendi.

Cum autem omnes Indiani in tyrannide consueta essent constituti: Tyrannus, præcipiuus Capitaneus, Regem, & Dominum totius regionis cepit, eumq; per sex, vel septem menses captiuum detinuit, ab eo, sine vlla ratione, aurum, & Smaragdos petens. Dictus Rex, cui nomen erat Bogata, timore ductus, domum auream se daturum promisit, sperans se illius manus à quo affligebatur, euasurum, misitq; Indianos, qui aurum adferrent, & sæpè, & repetitò magna auri, gemmarumq; copia allata est. Sed quia Rex domum auream non dabat, Hispani dicebant eū, cum promissis non staret, interimi debere: Iussit tyrannus, ut coram se ipso in iudicium vocaretur, & ita illi citant, & in ius vocant maximum totius regionis regem: tyrannus fert sententiam, ut tormentis affligeretur, nisi domum auream daret. Illum torquent, in ventrem sapum feruens injciunt, illius pedibus palo alligatis cathenas imponunt, alteri palo, collum ligant, & duo viri eius manus tenent, & sic ignem pedibus apponunt: & tyrannus sæpè accedens illi mortem minabatur, nisi aurum tradiceret: & ita his tormentis dictum Dominum confecit: quæ dū inferuntur, Deus ostendere volens, has sibi crudelitates displace, omnis vrbis, in qua committebantur, incendio absumpta est. Reliqui Hispani Capitanei sui vestigijs insistere volentes, cum nullam aliam artem callerent, quam eam, qua corpora membratim discerpuntur, eadem facinora patrarunt diuersis, & horrendis tormentis Cacicos cum omnibus subditis qui se illorum fidei commiserant, affligentes, cùm tamen omnes dyna-

94 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

Itæ, cum subditis maximi auri, & Smaragdorum donis eos afficerent. Eos autem ob hanc solam causam torquebant, ut maiorem auri vim, & gemmarum copiam obtinerent, & sic omnes illius regionis Domini, flammis, & incendio absunti, perierunt. Aliquando etiam accidit, ut multi Indij accederent, ut Hispanis omni humilitate, & simplicitate, sicuti solent, inseruissent, qui cum se tutos existimarent, ecce Capitaneus ad eam vrbē, in qua seruiebat, aduenit, qui iussit hos omnes Indianos post cœnam, cum dormientes nimio diei labore defatigati, quiescerent, gladijs perimi, & neci dedi. Hanc autem stragem eo consilio editit, ut timorem sui, omnium huius regionis incolarum animis imprimaret. Semel Capitaneus iussit, ut Hispani iuramento affirmarent, quot Cacicos, & Indianos eorum vnuſquisq; domi in suo famulitio haberet, & statim in locum publicum adducerentur, capiteq; plecterentur, atq; ita quadringenti, vel quingenti homines necati sunt. Testes hoc de particulari quodam tyranno deponunt, quod cædendo, manusq; & nasum multis cum viris, tum fœminis abscondendo, & multos destruendo, maximas, & horrendas crudelitates exercuerit.

Alio etiam tempore hoc accidit, ut Capitaneus eundem crudelēm tyrannum in prouinciam Bogatæ miserit, ut inquireret, quisnam in illa prouincia Principi, quem crudeliter, & inhumanè vita priuarat, successisset, qui multa huius regionis miliiaria peragrans, quot potuit, Indianos cepit, quorum aliqui, quod non dicerent, quisnam esset defuncti successor, manibus truncati, alij verò famelicis canibus expositi, in frusta discepti sunt: & hoc modo multis Indianis usuram lucis eripuit, & infinitis damnis affecit.

Quadam



95

Quadam autem die, circa quartam noctis vigiliam immulcuntos Cacicós, Satrapas, & alios Indianos irruit, qui tamen se satis tutos existimabant (fides enim, & securitas illis data erat, scilicet nullam iniuriam, aut damnum recepturos) qua fide nitentes, ex motibus, in quibus latebant ad urbēs, sine ulla suspicione, aut timore, reuertebantur, quos omnes cepit, & manus in terram extendere iubens, ipse metuens proprio illis abscondebat, scilicet eos castigare.

castigare dicens, quòd Dominum, qui Regno successerat, indicare nollent.

Alia vice, quòd Indiani cistam auro plenam, vt Capitaneus petierat, non darent, copias misit, quæ in illos bella mouerent, vbi infinitis mortem intulerunt, & tam multos, cum viros, tum fœminas, manibus, & naso truncarunt, vt numerus recenseri vix possit: alios famelicis, & carne nutritis canibus obiecerunt, qui ab ijs statim deuorati sunt.

Aliquando cuiusdam huius prouinciæ incolæ cernentes, quatuor vel quinque ex præcipuis suis dynastis igne sublatos esse, timore perculsi, in montem se repperunt, quo contra tam inhumanos hostes se tuerentur, & defenderent: aderant, vt testibus probatum est, quatuor, vel quinque Indianorum millia. Supradictus Capitaneus ad eos insignem tyrannum, qui inhumanius, & crudelior cæteris erat, cum certo Hispanorum numero misit, vt rebelles Indianos, qui tantas strages euitabant, & fugiebant, ac si aliquid illiciti perpetrassent, persequerentur, & castigarent, quasi ad eos castigatio, & vindicta pertineret, qui ipsimet omnibus tormentis, sine ulla misericordia, à qua hos miseris tam crudeliter tractantes, omnino alienos se præbent, digni sunt. Hispani monte vi (Indij enim nudi erant, & inermes) condescendunt, se pacem querere, modò ipsi ad arma non concurrerent, proclamantes. Indij hoc audito, statim ab armis discedūt, quod cernens vir crudelissimus, Hispanos misit, qui mōtis propugnacula occuparent, & ijs occupatis Indios aggrederentur. In hos ergo, tanquam lupi, & leones in agnorum gregem irruunt, & cædendo ita defatigati sunt, vt animos recipere coacti fuerint, quibus receptis Capitaneus iussit, vt denuo cæderent, & ex summo montis, qui erat miræ altitudinis, fastigio, omnes, qui vitæ superfuerant, præcipitarent, quod & factum est. Et testes deponunt se vidisse, tanquam nubem, septingentorum Indianorum simul, è monte decidentium, qui omnes concassabantur, & peribant.

Et vt

Et ut omni ex parte crudelitatem suam compleret, Indios, qui inter dumeta se absconderant, conqueriri iussit, & ensium mucronibus perimi; qui hoc modo cæsi è monte præcipitabantur. Nec his tam crudelibus facinoribus contentus, vt magis innotesceret, & horribilia eius scelera incrementum caperent, præcepit, vt omnes Indij, qui à quibusdam particularibus morte erepti erant (vt in huiusmodi cædibus quisq; sibi aliquos cum masculos, tum fœminas, & pueros ad seruitia reseruare, & ita conseruare solet) in straminea domo collocarentur, exceptis & reseruatis ijs, qui sibi ad seruiendum magis idonei videbantur, ignisq; in eam conijceretur, & ita quadraginta vel quinquaginta viui combusti sunt, & flammis absumpti.

Idem tyrannus ad urbem Cotam, quandoq; accessit, vbi infinitum hominum numerum cepit, & quindecim, vel viginti dynastas, ex præcipuis, canibus membratim discerpendos obiecit, multisq; viris, & fœminis manus præscidit, quas pertica traiiciens omnibus Indijs spectandas, & videndas præbebat: ibi autem septuaginta manuum paria, perticis traiecta cernebantur. Hoc addendum, quod multis cum infantibus, tum fœminis nam præsciderit.

Nequitias, & crudelitates huius viri, Dei hostis, recensere nullus posset, innumeræ enim sunt, & antehac nec auditæ, nec visæ, ex verò præcipue, quas in Guatimala regione commisit, quibus, nec alibi patratæ multum cedunt: nam ab hinc multis annis, solam artem hos populos destruendi, & comburendi exercet.

Testes præterea hoc addunt, crudelitates, & strages in dicto nouo Granata regno patratas, ab eodem Capitaneo, & alijs tyrannis, decaustatoribus, & extirpatoribus generis humani, qui cum eo sunt, & quibus potestatem concedit adhuc hodie easdem excendi, tales, tantosq; esse, vt si opportunè sua Majestas non medeat, & remedia adhibeat (cum cædes Indiorum

98 CRUDELITATES HISPANORVM

orum solius auri obtinendi gratia, quo carent, nam quod habebant iam illis traditum est, fiant) breui dictum Regnum destruetur, & in totum desolabitur, atq; ita terra, Indijs, qui eam colant, deficiētibus, inculta iacebit.

Hoc loco pestilentialis, & inhumana horum tyranorum crudelitas notanda est, & quam violenta extiterit, cum spatio duorum, vel trium annorum (ab eo enim tempore hoc Regnum detectum est, quod omnibus orbis regionibus populi multitudine præstabat, omnium, qui viderunt testimonio) omnibus cæsis, desolatum sit, & expopulatum, secum alienos ab omni misericordia, & timore Dei, & Regis præbentes, ut scribatur, ne vinicum hominem vitæ superfluturum, nisi sua Maiestas tantarum crudelitatum cursum retardet: quod equidem facile credo, hisce enim oculis vidi in ijsdem partibus, paucis diebus maxima Regna expopulata, & desolata. Aliæ sunt amplæ provinciæ nouo Granatæ regno confines, quæ appellantur Popayan, & Cali, & tres vel quatuor aliæ, quæ ultra quingentorum milliarum longitudinem extenduntur, quas eodem modo, quo & alias, destruxerunt, & ad extremam desolationem cædibus supradictis perduxerunt, quarum populus erat infinitus, & terra fertilitate insignis. Qui ex ijsdem regionibus reuersti, ad nos peruerterunt, narrant nihil tristius, aut commiseratione dignius, quam tantas & tam amplias vrbes funditus deletas, in cineribus iacentes cernere, eiusq; vrbis, quæ mille vel duo millia ædium caperet, vix quinquaginta, reliquis radicitus euulsis, vel incendio consumptis restare: & in quibusdam partibus aliquas regiones in centum milliaria patent, & in ijs amplissimas vrbes, omnino destructas, & combustas inuenisse.

Ad extremum ex regnis Perusij per Quitonios multi, & maximi tyranni se contulerunt in dictum Regnum nouum

Grana-

Granatae, & Popayani, & per Carthagenos, & Vrabas Calisium petierunt, atque etiam alij tyranni Carthagenses, Quitonium aggressi sunt. Qui omnes se coniunixerunt, & ultra sexcenta regionis milliaria, cum damno infinitarum animarum expopulati sunt, & extrema desolatione affecerunt: neque vero adhuc hodie tanti populi innocentis reliquijs, humaniores se praebent.

Et ita regula, quæ à me in principio posita est, confirmatur, nempe tyrannidem, violentiam, & crudelitatem Hispanorum in hos agnos, tempore augmentum, & incrementum cepisse. Inter alia verò omni igne, & tormentis digna, quæ hac tempestate in illis regionibus patrantur, scelera, quod sequitur, auditu non est indignum.

Cædibus, & crudelitatibus bellorum peractis, in servitutem infernorum Dominorum, quibus dantur, quandoque ducenti, & aliquando trecenti, rediguntur, & tyrannus Dominus iubet, ut ad se centum Indiani, qui ut agni accedunt, adducantur, quorum triginta vel quadraginta capite ple&tit, alijs præsentibus hoc vtens sermone: Idem vobis fit, si mihi bene non inferuiatis, vel si indicta venia discedatis.

Considerent rogo, qui hæc legunt, vel lecturi sunt, an non hic actus tam horribilis, crudelis, & inhumanus, omnem iniquitatem, vel crudelitatem, quām imaginatione comple&ti possemus, superet, & vincat, & an immerito tales Hispani diaboli vocentur. Quodnam enim est consultius Indianos diabolis committere, vel Hispanis?

Neque hic etiam quoddam facinus (vtrum brutorum animalium crudelitati postponi debeat, nescio) silentio inuoluam. Hispani, qui in Indijs versantur, crudelissimos canes alunt, ita instructos, & eductos, ut in Indianos

100 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

ruant, & statim eos deuorent, membratimq; discerpant. Omnes iam siue Christiani sint, siue non, considerent, vtrum tale quidquam vnquā auditū sit, eos canes quo cunq; proficiscuntur, itineris comites assūmūt, & cū illis multos Indianos cathenis vinclatos, quos tanquā porcos ad eorū viētū necant, carnis humanæ lanienam habentes. Et sibi inuicem dicunt: Da mihi commodato quartam partem vnius vellaconis pro canibus meis, vbi vnum occidero, tibi restituam, non secus ac si frustum porci, vel agni acciperent. Alij manè cum canibus venatum proficiscuntur, quibus reuersis, si petatur: Quām felix venationis successus? satis felix respondent, mei canes quindecim, vel viginti vellacones interemerunt. Hæc omnia ijs inquisitionib. quas tyranni in tyrannos fecere, probata sunt. Quid, precor, aut horribilius, aut crudelius?

Sed desistam, quousque nequitarum maiorum (si tamen grauiores esse possunt) nuntius aduenierit, vel certè, quousque denuò ad eas cernendas accedamus, quas olim spatio quadraginta duorum annorum, proprijs oculis vidimus. Ad extremum in conscientia, & coram Deo protestor damna esse tam magnæ destructiones, vrbium subuersiones, cædes, & crudelitates tam horribiles, violentias, & iniuitates tam inhumanas, & furta tam scelerata (quæ omnia in illis regionib. & contra hanc gentē patrata sunt, & adhuc hodie committuntur, vt in ijs, quæ scripsi, recensui, & suis coloribus, quo melius potui, depinxi, ne ex millesima parte, vnicam, siue ad qualitatem attendatur, siue ad quantitatem, explicasse.

Atque vt omnes Christiani maiori compassione, & misericordia, in hos innocentes ferantur, & magis illorum perditionem deplorent, & auaritiam, ambitionem, crudelitatemq; Hispanorum detestentur, cum ijs, quæ superius dicta sunt, hoc etiam firmissimè, & verissimè teneant, ab eo tempore, quo America detecta est, vslq; in præsentem diē, Indianos, quousq; primi prodi, .

prodiit, multis damnis & iniurijs affecti sunt, nulla iniuria vlo in loco Hispanos affecisse, immò eos tanquam immortales coluisse, è cœlo delapsos existimantes, quousq; apertè, quinam essent, & quid peterent, prodiderunt.

Hoc præterea addam à principio vsque in hunc diem, non magis sollicitos Hispanos fuisse, vt his gentibus Euangelium Christi annunciaretur, quām si canes, aut bestiæ fuissent, sed quod peius est, eos religiosis expressè prohibuisse, multas afflictiones, & persecutions illis imponentes, nec concionibus, & prædicationibus vacarent, illud enim impedimento esse ad aurum comparandum, & diuitias acquirendas, quas illis auaritia proponebat, existimabant. Nec maiorem adepti sunt Dei cognitionem, vtrum scilicet Deus ligneus sit vel æreus, vel terreus, quām ante centum annos habuerint, dempta Hispania noua, quæ est Americæ particula, ad quam religiosi profecti sunt, & ita sine fide, & Sacramentis perierunt, & adhuc hodie pereunt.

Ego frater Bartholomæus de las Casas, vel Casaus, religiosus Ordinis S. Dominici, qui Dei misericordia, ad hanc aulam Hispaniæ, inferorū ex Indijs expulsionem desiderans, me contuli, timens, ne animæ Christi pretioso sanguine redemptæ perirent, sed toto corde desiderans, vt creatorem suum agnoscant, & saluentur: propter curam etiam, & compassionem, qua in patriam meam, quæ est Castella affior, timens ne eam Deus destruat, propter magna peccata contra fidē, honorem, & proximos, ab illius natis, & liberis patrata: aliquorum magni nomini virorum, qui in hac aula versantur, & qui honoris Dei ferventes zelatores existunt, & tantis calamitatibus, & afflictionibus proximorum commouentur (quamuis idem facere decreuisssem, & iamdudum proposuisssem, tamen multis, & continuis occupationibus distractus, nondum vacarat) huic tractatui, & summario, finem imposui Valentia 8. Decem. Anno 1542. cum ad extremum violentiarum, oppressionum, tyrannidum, defo-

N 3 lationum,

lationum, tormentorum, & supradictarum omnium regionum Americæ, in quibus viuunt Hispani, calamitatum, gradum, deuenissent (quamvis in alia parte magis, in alia minus crudeles existant) Mexiconem, cum confinijs meliorem, quæ reliquæ prouinciarum tractationem recipit. Certè iniurias apertè, & palam inferre nullus auderet, ibi enim est aliqua, quæ nullibi locorum in Indijs regnat, quantumuis exigua, iustitia, quamvis immensis tributis grauentur. Firmam spem habeo Dominum Carolum V. Imperatorem, & Regem Hispaniæ Dominum, & Principem nostrum, ad cuius aures peruenire incipiunt nequitiae, & proditio-nes, quæ commissæ sunt, & committuntur contra miseram hanc gentem, & afflictas has regiones contra Dei voluntatem, & suam (huc vñq; enim veritas illi celata, & occultata est, non minus astutè, quam callidè, & malitiosè) tanta malorum genera extirpaturuni, & radicitus euulsurum, atq; nouo huic mundo, qui à Deo illi, tanquam iustitiae amatori, & cultori traditus est remedia morbo congruentia daturum. In sua gloria, felici vita, & statu imperiali Deus eum conseruet, & prospera omnia tribuat, vt Ecclesiæ vniuersali medeatur, & salutem eius Regie animæ concedat, Amen.

Postquam hæc scriptis redigisse, certæ leges, & constitutiones à sua Maiestate tunc temporis factæ Barcelonæ Anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, mense Decembri, & in vrbe Maderæ anno sequenti, promulgatae sunt, & publicatæ, quibus constitutionibus ita prouisum est, vt pro tempore conuenienter videbatur, vt tantis nequitijis, & peccatis, quæ in Deum, & proximum committebantur, & ad omnimodam huius novi mundi ruinam, & perditionem tendebant, finis imponeretur. Has leges sua Maiestas congregatis plurimis, virorum maxima authoritate, litteris, & conscientia prædictorum, & dotatorum concilijs, promulgavit, & disputationibus

bus Valadolidae de ea re habitis, deniq; communi consensu, & consilio omnium eorum, qui sententias suas scriptis redegerunt, editæ sunt: qui quidem, magis ad regulas Christi accedere, veriç; Christiani, & omnis corruptionis, & maculæ thesaurorum, Indianis furto, & latrocino sublatorum, puri, immunes, & innocentes iudicati sunt, qui thesauri manus, & multò magis animas eorum, in quos dicti thesauri, & auaritia Imperium exercebant (vnde illa cœcitas causa tantorum malorum, sine ullis conscientiæ stimulis patratorum, ortum dicit) contaminarunt.

His legibus ita promulgatis, tyrannorum cretores, qui tunc in aula versabantur, varia diplomata describi curarunt (illi enim maximè dolebant, cum cernerent ad dictam prædam & extorsiones dicta tyrannide factas aditum non patere amplius) & ad diuersas Indiæ prouincias miserunt. Illi, quibus cura, & onus extirpandi, & diuersa tyrannide opprimendi incumbebat, vt nullum vñquam obseruauerant ordinem, sed maxima semper inordinatione se gesserant, his lectis diplomatis, antequam noui iudices, qui mandata executioni mandare debebant, aduenissent, aut appulissent, eorum opera (vt dicitur, nec veritati repugnare videtur) qui huc vsq; eorum peccatis, & violentijs fauerant, cognoscentes dictas leges & promulgationes, effectum sortiri debere, ad seditiōnem commoti sunt, & rebellarunt, cumque iudices, qui mandata executioni mandare debebant, aduenissent, remoto omni amore, & timore Dei, non sunt etiam veriti, omnem reuerentiam, & obedientiam, quam Regi debebant contemnere, & flocci facere, atque ita proditorum nomen assumperunt, se, vt crudelissimos tyraños ab omni humanitate alienos gerentes.

Præcipue vero in Regnis Perusij, vbi Anno 1542.
faci-

facinoratam horrenda, & stupēda committunt, ut similia nunquam nec in Indijs, nec in toto orbe auditā sint: neque verò solum in Indianos, quos ferè omnes vitæ vsura priuarant, hæc exercent, sed etiam in seipso, permittens Deus, iusto suo iudicio, ut sibiipsis carnifices existant, & sua tela in propria viscera conuertant. Horum rebellium fauore, reliquæ noui huius mundi partes, legibus parere recusarunt. Et reliqui suæ Maiestati precés fundere, fingentes, ipsimet rebellarunt: ægrè enim status, & bona, quæ usurparunt, dimittunt, nec libenter Indianorū, quos in perpetua captiuitate tenent, vincitas manus soluunt: & vbi gladijs neci dedere cessant, paulatim seruitutibus personalibus, oneribusq; iniustis, & intolerabilibus, opprimunt. Quod huc usque Rex impedire, aut auertere non potuit, quia omnes, tam potentes, quam humilis conditionis, homines, alij quidē plus, alij minus, alij publicè, & palam, alij clam, & secretò latrocinijs dediti sunt, & sub prætextu Regis inseruendi Deum dedecrant, & Regi furantur.

Quod sequitur, pars est epistole, quæ à quodam, qui his peregrinationibus adfuit scripta est, in qua re- censet, quæ à quodam Capitaneo, in illis regionib; quas pertransit, patrata sunt. Et quia dicta epistola, cum aliis chartis compingenda, & liganda tradita erat, compactior aliquot folia perdidit, quibus stupenda, quæ ab aliquo etiam qui adfuerat acceperam, continebantur: Quod iam vobis proponam, sine principio, & fine imperfectum, tradant. quia autem, quæ supererat particula, multa

*multa notata digna continebat, consultum mihi
visum est, ut typis mandaretur, omnino con-
dens ea U. Celsitudini non minus compassionis,
& horroris, quam, quæ supra dicta sunt, & per
consequens, maximum medendi desiderium, pa-
ritura.*

LITTERÆ.

VT cathanis vincirentur, & in seruitutem redigerentur, per-
misit, quod & factum est, & Capitaneus multas horum ho-
minum medendi cathanis vinctorum, turbas secum ducebat,
quo actu vt regio augeretur (vt decebat) non procurabat, cumq;
Indijs, omnes, quos habebant victus prædaretur, naturales regi-
onis incole ad tantam necessitatem redacti sunt, vt multi, in iti-
nere fame mortui reperirentur. Indiorum etiam ad littus maris
Hispanorum onera, & impedimenta ferentium, ultra decem
millia perierunt. Nullus enim viuus, propter nimium regionis
extum, à littore recedebat.

Postea verò vestigijs Ioannis Ampudiæ insistens, Indios,
quos ex Quitoia prouincia adduxerat, itinere vnius diei præ-
mittebat, vt pagos detergerent, & prædarentur, atque ita parata
præda esset, cum suis comitatus, accederet, (isti autem Indiani
ad ipsum & socios pertinebant, quorum aliqui ducentos, aliqui
trecentos, alij plus, alij minus, habebant secundam vniuscuiusq;
onera, & impedimenta) qui Indiani ad Dominos, cum ijs, quæ
deprædati fuerant, se recipiebant. In quo agendo maximas cru-
delitates, in pueros, & foeminas exercebat: in Quitoia regio-
ne eadē ratione processit, omnem regionem incendio vastans,
& granaria, in quibus dynastæ Mahiden suum, id est frumen-
tum, asseruabant, comburens. Maxima, vt fierent damna, in

O ouium

106 CRUDELTATES HISPANORVM

ouium cæde, pmisit, quibus & Hispani, & naturales Incolæ viuebant. Et ad solum cerebrum & sebum obtinendū permisit, vltra ducentas, & trecentas oves cædi, quarum caro nulli erat usui. Cum autem multi Indij Hispanorum amici, & confederati, eos sequerentur, vt agnorum corda comedenter, eorum mirastragē ediderunt, ob id tantū, quod reliquias partes non comedenter. Et eorū duo, in prouincia Purua, vigintiquinq; agnos, qui inter Hispanos vigintiquinq; coronatis vendebantur, ad solum cerebrum & sebum obtinendum, occiderunt. Et ita inordinato hoc pecorum cædendorum excessu, vltra centum millia pecorum capita perierunt. Qua de causa regio in maximam penuriam incidit, & eius incolæ fame miserè peribant. Et prouincia Quito, quæ tanta frumenti copia abundabat, vt dici vix possit, hoc procedendi modo tali fame pressa est, vt frumenti sextarius decem coronatis venderetur, & unus agnus totidem.

Dictus Capitaneus ex littore reuersus, Quitone discedere, & Capitaneo Ioanni de Ampudia se coniungere decreuit, & deliberauit: quod vt faceret, vltra ducentos, cum equites, tum pedites, conscripsit, inter quos multi erant urbis Quitoniæ ciues, quibus concessit, & permisit, vt secum Cacicós, qui sorte illis dati fuerant, & Indianos, quotquot vellent, assumerent, & ducerent, quod fecerunt: & quidam Alfonsus Sanches Nuyta Cacicum saum, cum centum Indianis, & vltra, cum uxoribus deduxit, quem comitatus est Petrus Cobo, cum cognato, vltra centum quinquaginta, unā cum coniugibus dicens, quorum plurimi liberos secum, ne fame perirent, assumebant.

Moran etiam Popayani ciuis, vltra ducentas personas secum assumpſit, idemq; fecerunt omnes ciues, & milites, quisque secundum facultates, qui sibi concedi postularunt, Indianos & Indianas in captiuitatem redigendi, quod illis ad mortem usq; concessum est, & vt illis mortuis idem de alijs fieret: nam quod Indij subditi, & vasalli essent suæ Maiestatis, idem Hispanis,

cum

cum illis erat commune , qui tamen eadem mortis pericula subibant.

Atque hoc modo hic Capitaneus Quitone discedens in urbem Octabam, quæ illi sorte contigerat, se recepit, & à Cacico petijt, vt sibi quingenti homines traderentur, quos ad bellum duceret, qui illi, cum quibusdam magni nominis viris , dati sunt. Aliquam horum hominum partem militibus suis diuisit, & reliquos secum duxit, aliquos quidem oneratos, alios cathanis vincitos, alios verò solutos, vt illis inservirent, & cibaria ferrent. Et hoc modo cathanis, & chordis ligati, ducti sunt. Illi Quitonia prouincia discedentes, vltra sex millia Indianorum deduxerunt, quorum vix viginti in regionem suam reuersi sunt, maximis enim, & crudelibus tormentis, quibus in calidis, & ardentibus illis regionibus cruciabantur, perierunt.

Eodem tempore accidit, vt quidam Alfonsus Sanchesius à dicto Capitanco alicui turmæ præfectus sit, qui aliquot fœminas, & pueros cibis oneratos, offendit, à quibus expectatus est, vt illi eorum, quæ habebant, aliquid impartirentur: sed hic Capitaneus iussit, vt omnes ensibus cæderentur. Et hīc res mira accidit: cùm miles quidam Indianam percuteret, eius ensis primo ictu medius fractus est, secundo sola capula illi in manu remansit, nec Indianus laesa est, aut vulnerata. Et cum alias miles pugione quadrato Indianam percuteret, pugio, quatuor digitorum longitudine, primo ictu fractus est, & secundo sola illi capula in manu remansit.

Circa idem tempus Capitaneus Quitone discessit, & abduxit maximum naturalium incolarum numerum, quorum matrimonia soluens, & separans, iuniores fœminas Indijs, quos ducebat, seniores verò reliquis, qui in vrbe remanebant, diuidebat & distribuebat. Eum Quitone discentem mulier magnis clamoribus persecuta est, orans,

O 2 & obte-

& obtestans, ne maritum suum dederet, se enim tribus infantibus oneratam, eorum victui necessaria suppeditare non posse, sed fame perituros, cumq; Capitaneus eam primo appulsi satis iracundè repulisset, secundo duplicatis clamoribus, accessit, dicens, natos suos nimia fame pressos perire: cùm autem videret non moueri Capitaneum, nec sibi maritum restitui, puerorum capita lapidibus elidens, eos interfecit.

Eodem autem tempore, quo in urbem Palonem Prouinciæ Lilianæ appulit, Capitaneum Ioannem de Ampudia offendit, qui ad detegendam & pacificandam regionem præcesserat, qui tunc vrbi (ab eo præfidiario milite Maiestatis suæ & Marquionis Francisci de Picarro nomine munita) præsidebat, cui Petrum Solanum de Quennonibus cum octo consiliarijs, præfecerat, & reliquam regionem, quæ pace fruebatur, diuferat. Cum autem dictum Capitaneum appulisse intellexisset, illius inuisendi gratia, cum multis incolis & pacificis Indianis, victu, & fructibus oneratis accessit: quem postea multi Indiani vicini cibaria adportantes, secuti sunt: aderant incolæ Xamundiæ, Paloniæ, Solimaniæ, & Boloniæ: cumq; tantam frumenti copiam, quantam petijsset, non attulissent, magnum Hispanorum numerum cum suis Indianis misit, vt frumentū conquirerent, & iussit, vt vbi cunq; inueniretur, adferrent. Et ita Boloniæ, & Paloniæ se contulerunt, vbi Indianos in suis ædibus pacifice viuentes, inuenierunt. Hispani verò, & eorum comites, eis frumenta, aurum, tegmenta, omnia denique, quæ habebant, furati sunt, plurimosq; ligarunt. Indij se tam mala tractatione affici cernentes, ad dictum Capitaneum accesserunt, petentes, vt quidquid sublatum esset, restitueretur, qui nihil quidem restituere voluit, sed suos non reuersuros promisit. Præteritis tamen quatuor, vel quinque diebus, iterum Hispani ad frumenta reuertuntur, & Indios naturales, vt antea, deprædantur. Quare viidentes Capitaneum missis non stare, omnis regio contra Hispanos

Hispanos commota est, & rebellauit, vnde maxima damna prouenerunt, & grauiter Dei, Regisq; Maiestas offensa est, & ita populo, & habitatore deserta hæc regio remansit: Olimasij enim, Mantiposij, cum cernerent eorum vrbes, & habitationis loca deseriri, singulis diebus è montibus descendebant, & deprædabantur, inter quos qui fortior erat debiliorem comedebat, hæc enim gens montana est, & bellicosa, dictoq; populo infesta, & inimica. Hoc facto dictus dux ad Ampudiæ vrbem se contulit, in qua, vt Capitaneus generalis receptus est, & inde Lilium, & Petiniū versus ducentis, vel circiter, tam peditibus, quam equitibus, comitatus, iter suscepit.

Praeterea his omnibus dictus gubernator Capitaneos suos, qui cruenta bella Indianis inferrent, misit, qui diuersis ædium incendijs, & bonorum deprædationibus maximum Indianorū numerum, vitæ lumine priuarunt, quod per multos dies continuatum est. Regionis huius Domini, cum ita destruerentur, & affligerentur, Indianos pacificos, cum cibarijs ad eos mittebant. Postea verò, cum omnibus Indis, quos Liliæ Hispani ceperant, neque enim vnicus relaxatus, aut dimissus fuerat, Yceam versus se contulit, ad quam vix appulsus Hispanos diripere, & Indianos, quotquot possent, cædere iussit, multisq; domos incendio consumere, atque ita ultra centum igne, & flammis absumptæ sunt. Inde ad aliæ vrbis, quæ Tulilicui appellabatur, iter se accinxit, cuius Cacicus statim in pace multis Indianis comitatus obuiam illi processit. Capitaneus ab eo, & subditis aurū petiit, qui se modicum habere respondit, sed tamen, omne, quod haberet, daturum, quo dicto, omnes, quidquid habuerunt, & potuerunt, dederunt. Quorum vnicuique chirographum, in auri dati testimonium dedit, dicens eum, qui hoc chirographo destitutus reperiretur, canibus, vt deuoraretur, in signum auri non dati, expositurum iri. Atque ita timore perculsi Indiani, quantum auri poruerunt, dederunt, illi verò, quibus deerat, vitandæ mortis causa

110 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R U M

causa ad montes, & alias vrbes confugerunt: quamobrem magnus Indianorum numerus sublatus est. Paulo post in mandatis dedit Cacico, ut duos Indianos ad vrbem Daguan mitteret, qui significant, ut in pace illius habitatores accederent, & magna auri pondera adferrent. Hoc facto ad aliam vrbem accedens, Hispanos eadem nocte misit, ut Indios, & Tulilicuenses caperent, qui sequenti die vltra centum personas adduxerunt, quorum aliquos, qui ferendis oneribus idonei iudicabantur, sibi, & suis militibus reseruauit, aliquos verò catenis deuincijt, in quibus omnes interciderunt. Paruos autem infantes dicto Cacico Tulilicuensi deuorandos dedit, quorum cutes cineribus repletæ adhuc hodie in eius ædibus visuntur: & ita hanc vrbem fine interprete reliquit, seq; versus prouincias Calilienses contulit, vbi Capitaneo Ioanni de Ampudia, qui ad aliam viam degendam missus erat, se coniunxit, relinquens vterq; in ijs regionib. per quas iter suscepserant, suæ crudelitatis æterna vestigia. Dictus autem de Ampudia quandam vrbem accessit, cuius Dominus Bitacon nomine, certas fossas, se defendendi gratia, fieri curauerat, in quas duo equi, quorum alter Antonij Redondensis, alter verò Marci Marquesij, deciderunt, posterioris equus mortuus est, prioris verò, viuis superfuit. Quocirca dictus de Ampudia præcepit, ut quotquot occurrerent Indiani, caperentur: & ita vltra trecentos Indianos captos in has fossas coniecerere, & centū ædes circiter, incendio consumpsere. Paulò post simul, in ampla quadam vrbe conuenerunt, vbi Indijs non vocatis, nec vllum interpretem habentes, quo cum illis colloquerentur, lanceis maximum eorum numerum deleuere. Et quam primum, ut dictum est, se coniunixerunt, dictus Ampudia Capitaneo narrauit, quomodo se Bitaconiæ gessisset, & quam multos in fossas conieccisset, cui Capitaneus respondit probè rem esse gestam, se etiam primo ad fluuium Bambam, qui Quizoniam prouinciam præterfluit, aduentu, eodem mortis generere,

nere, vltra ducentis Solis lucem eripuisse: atque ita toti regiones simul bella mouere cœperunt. Quib. simul gestis, alter prouincias Birumiæ, vel Anzermæ, intravit, atque in illis crudelissima bella, usque ad casas salis, gesit. Postea Franciscum Garciam, ut prædaretur, præmisit, à quo naturales incolæ maximis dannis, & iniurijs affetti sunt. Indiani bini accedebant, signis pacem pro tota regione, se petere, & efflagitare demonstrantes, seque illis, quidquid peterent, vel aurum, vel fœminas, modo vitæ parceretur, datus, & allatus, quod & verum erat, ut ipsimet postea confessi sunt. Franciscus Garcia aliud responsum illis non dedit, nisi, ut discederent, se Baccho nimium indulsisse, nec percipere, quæ dicerent. Atque ita ad Capitaneum reuersus ad excurrendam totam prouinciam, & bella naturalibus regionis incolis, furtis, latrocinijs, deprædationibus, cædibus, inferenda, accesserunt, & ex ea regione vltra duo millia hominum expromperunt, qui omnes postea in catenis morte absumpti sunt. Denique antequam loco cederent, vltra quingentos homines, violenta morte exceperunt.

Rebus ita benè gestis in prouinciam Caliliensem, pedem retulit. Si verò in itinere Indiani aliqui deficerent, ensium mucronibus morti dabantur, vel certè caput, ne in aperiendis catenis nimius labor esset, amputabat, ne etiam reliqui morbum simularent, & his modis omnes perierunt, neque ex ijs omnibus, quos ex Quitonia, Pastonia, Quilla, Cangapatra, Popayania, Lilia, Calisia, & Anzerma depromperat, ullus vitæ superfuit. Reuersi autem, cum urbem magnam ingrederentur, quotquot potuerunt, occiderunt, illaq; ipsa die trecentos captiuos ceperunt.

Misit ex dicta prouincia Liliæ Capitaneū Ioannem de Ampudia, cum multis militibus ad loca habitata Liliæ, ut quotquot posset Indianos, ad vecturam adduceret, ex omnibus enim

ijs,

ijs, qui Anzerma, & Allia adducti erant, (quorum maximus erat numerus) nullus vita supererat, vltra mille autem homines inde deduxerat (cæsis non numeratis, aut computatis) quorū dictus Capitaneus, quos sibi necessarios esse existimabat, reseruauit, reliqui militibus traditi sunt, qui catherinis vinciti, omnes perierunt. Sic itaque tam Hispanis, quam naturalibus incolis (cuius rei paruu, qui restat numerus, testis est) expopulata vrbe, ad iter Popayani se accingit, reliquo in itinere Martino de Aquirra, qui alios sequi non poterat. Qui cum ad Popayanum peruenisset, præsidiario milite vrbum muniuit, & eodem modo, quo alios, huius regionis incolas, afflixit, & destruxit. Curauit etiam Regij numismatis formam confici, & omne aurum, quod habebat, illud etiam miscens, quod Ioannes de Ampudia furatus fuerat, antequam accederet, liquari præcepit, & nullis rationum tabulis confectis, nullis militib. persolutis, exceptis paucis, qui equos amiserant, in solum suum usum tantam auri vim conuertit. Hoc peracto, quintam, quæ suæ Maiestati debetur, partem, assumens se Cuzconium, ut gubernatori rationem redderet, proficisci, dixit, & affirmauit. Sed aliam viam, Quitoniam versus, secutus est, multis Indianis in itinere captis, qui omnes, vel in via, vel Quitoniae perierunt, postea autem numismatis formam, quam fieri curarat, corrupti, & destruxit. Hic annotandum, & animaduertendum, quod ipsem de se ipso, non ignarus malorum, & crudelitatum, quas patrabat, dixit: Qui ab hinc quinquaginta annis has regiones peragrabunt, & hæc audient, talem tyrannum hac pertransiisse, dicent, & narrabunt.

Vestra Celsitudo certa esse debet, hos ipsos in hanc regionem, istius tyranni, introitus, & exitus, & eosdem modos hos Indianos, qui securè in sua regione viuebant, visitandi, ab alijs Hispanis practicatos, & executioni mandatos esse, qui eadem vestigia, ab eo tempore, quo India detecta est, vsque in præsentem diem, calcarunt.

Author

AVTHOR.

Inter ea remedia, quæ Dominus Bartholomeus de las Casas, Regie urbis Chiapensis Episcopus, in concilio Prælatorum, & litteratorum, eruditorumq; viroru, ad Indianum reformationem Valladolida Anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, sua Maiestatis authoritate, congregato, retulit, octauum ordine erat, quod sequitur; viginti rationes, & causas comprehendens, quibus concludit Indianos Hispanorum Imperio, feudo, clientele, neq; alio quo quis modo tradi debere, si velit sua Maiestas (ut desiderat) eos tyrannide & damnis, quæ patiuntur, tanquam ex ore Draconis eripere, & liberare, impedireq; quo minus destruantur, & cædantur, & nemundus ille, naturalibus incolis, quibus eum refertissimum vidimus, omnino destituatur, & deseratur.

Octaum remedium inter alia fortissimum est, & potentissimum, hoc enim omisso reliqua nullius essent momenti nec valoris, omnia enim ad hoc vnum, tanquam certi modi ad suum finem, referuntur: & ita Maiestatem vestram concernit, vt vix dici possit, vel sermone exprimi, de tota enim perditione, vel conseruatione Indianum agitur. Hoc autem tale est: vt Vestræ Maiestas magna solennitate in curijs, pragmaticis sanctionibus, & Regijs legibus constituat, & imperet, vt omnes Indij tam vieti, & subacti, quam vincendi & subigendi, sub Vestræ Maiestatis Imperio, Regnis Castellæ, & Legionæ, tanquam subditi, & vasalli liberi, vt sunt, reducantur, & incorporentur, neque ullius Hispani Imperio subijciantur, sed hæc sit inuiolabilis constitutio, determinatio, & lex Regia, vt nechodie, nec in perpetuum, à dicta Regia Corona separari, neque dari, commendari, in feudum deponi, aut ullo titulo, vel modo alienari queant, aut ullo seruitio, vel personæ merito, aut necessitate intercedente, vel villa causa, quæ prætendi posset, ab hac Regia Corona separari possint. Ad cuius rei confirmationem, & firmiorē constitutionem,

P

Vestræ

114 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

Vestra Maiestas solenniter, per fidei verba, Regiam Coronam, & reliquias res sacras, quæ à Princibus huiusmodi negotijs adhiberi solent, iuramentum præstabit, nullo tempore neq; personam suam Regiam, nec illius, tam horum Regnorum, quam Indianum successores, quantum in sua potestate sitū erit, reuocatores: & exprestè testamento cauebit, vt in perpetuum hæc Constitutio ab hæredibus obseruetur, & defendatur, & quantum in illis situm erit, confirmant & continuent. Et hoc viginti rationibus necessarium esse probatur, quarum aliquas, quæ ad rem facere videbantur, hic addidimus.

Secundæ rationis Apographum.

Hispani nimia sua auaritia, & habendi cupiditate, religiosos in eas vrbes, & loca, quibus imperant, intrare nec permittunt, nec patiuntur: inde enim duplici damno se affici dicunt, quorum primum, & præcipuum est, quod Indij ad conciones, & prædicationes conuocati, & congregati, ociosi manent, nec labori incumbunt, & interea eorum negotia non geruntur. Et quandoque accedit, vt Indianis prædicatione occupatis, Hispanus accesserit, & omnibus videntibus, quinquaginta, vel centū, quantum ad sarcinas, & impedimenta ferenda necessarij videbantur, sequi iusserit, qui cum pergere recusaret, baculorum, & pedum iustibus ad id coacti sunt: atq; ita commotis, & turbatis tam Indianis, quam religiosis, vtrorumq; saluti impedimentum attulit. Aliud damnum quo se affici dicunt, est, quod initiati Indiani, & Christiani facti, imperiosi fiunt, & se doctiores, capacioresq; quam sint, existimant, atque ita tanta seruitia, quæ solebant, præstare detrectant, & recusant.

Nihil aliud in votis habent Hispani, quam vt imperent, & ab Indianis, tanquam Domini, colantur, & adorentur.

Data opera, apertè Euangelij cursum, ne Christianismum Indiani amplectantur, retardant, & impediunt.

Datur

Datur autem quandoq; duobus, tribus, vel quatuor Hispanis vrbs vel pagus (alijs plus, alijs minus) & accidit, vt pro sua parte, alter foemina, alter maritum, tertius liberos, ac si porcos diuiderent, consequatur. Ijs autem Hispani ad multa vtuntur, vel ad colendos agros, vel in fodinis, vel certè eorum operam locant ad onera per quinquaginta, sexaginta, centum itineris miliaria, ferenda. Quod cum fiat quotidie, Indiani verbi Dei prædicationibus nec adesse, nec de sancta fide informari, & instrui possunt. Ex liberis seruos fecerunt, maximas vrbes, & amplum hominum numerum deleuerunt, nec vllis ædificijs, liberis, patribus, vel matribus pepercérunt.

Hispani non maiorem curam conuersionis horum hominum gerebant, quām si omnes hæ animæ rationis capaces, & participes, cum corpore essent interituræ, nec illorum vitam vlla immortalitas, gloria, vel pœna sequeretur.

Tertiae rationis Apographum.

Hispanis ad nostram fidem Catholicam Indianos initiandi onus incumbit: quamobrem Ioannes Colmenero in Sancta Martha, vir fantasticus, ignorans, & fatuus, à nobis examinatus, (quamuis maxima vrbs ei esset commendata, & animarum curam gereret) ne quidem signo crucis se munire norat, cumq; interrogaretur, quidnam Indianos sibi commissos doceret, respondit se dæmoni, & diris eorum capita deuouere, & hoc sufficere si illis diceret, *Per Signum Sanctæ Crucis.*

Sed quomodo Hispani, quantumuis egregij & nobiles, animarum curam gerere possent, maiori eorum parte decem præcepta, quæ credenda sint, & reliqua ad salutem necessaria ignorante, qui nulla alia re moti Indias petunt, quām vt effrenatis desiderijs, & immodicæ cupiditati inferuant, & plerunq; omnes vitijs sunt dediti, corrupti, inhonesti, & inordinati, ita vt si æqualance cum Indijs ponderentur, sine vlla comparatione

Indij maioris virtutis, & sanctioris vitæ reperientur, & iudicabuntur. Indiani enim, quamuis infideles, vnicā vxore, secundum naturæ, & necessitatis præcepta, contenti viuunt, & Hispanos, non vna, sed vix quatuordecim, Diuinæ legi directè repugnantes, contentos cernunt. Indiani nullis bona eripiunt, vel prædantur, nulli sunt iniurij, neminem opprimunt, vel cædunt: & cernunt omnia peccata, omnia mala, infidelitates, & iniquitates, quæ ab ullo mortali contra omnem ius committi possent, ab illis patrari. In summa Indiani irrisio[n]ibus & incredulitate, d[omi]n[u]s Deo dicta persequuntur, & in ea versantur opinione, omnium Deorum, nostrum, cui sunt tam mali, & perditi serui, pessimum, & ini quissum. Quod verò ad Vestram Maiestatem attinet, nihil ea, inter omnes Reges aut crudelius, aut iniquius ducunt, cùm tam crudeles, & impios seruos ad has regiones mittat, & ea distinentur opinione, vt Vestram Maiestatem, sanguine, & carne humana vesci firmiter credant. Hæc quidem Maiestati Vestræ noua sunt, & inaudita, sed illi regioni satis vera, & inueterata. Similia multa, quæ oculis vidimus, in medium quidem possemus proferre, sed Vestræ Maiestatis auribus essent molesta, & fastidiosa, & stupore hominum animos consternerent, summa quæ distinerentur admiratione, quod Deus in tantum tempus Hispaniam absorbere, & deuorare protelarit, & distulerit.

Hic titulus, Hispanorum commendationi Indios submittere, non habet alium finem, quām, vt occasione sumpta, in seruitutem redigantur. Hispanus alicuius vrbis, pagi, vel villæ Dominus aut præfectus, plus damni & mali, deprauatæ suæ vitæ exemplo inferet, quām centum probi, & sancti religiosi ædificando & conuertendo boni facere possint.

Quartærationis Apographum.

SI Hispani aliquod Imperium, vel particulare interesse forte habeant, magna habendi cupiditate ducti, abstinere non possunt

sunt ab afflictione, iniurijs, turbationibus, & oppressionibus, quibus à supra Maestatis Curia satisfieri non potest, nec remedia adhiberi queunt. Hispani enim minis eos terrent, & saepe ne conquerantur, cedunt, cuius rei certam habemus notitiam. Vnde manifestè appetet, eos pace & quiete destitutos, rebus diuinis vacare non posse, mille enim impedimentis, angoribus, tormentis, mœroribus, & afflictionibus distrahit, quo fit, ut Maestatem Vestram odio, & legem abominatione persequantur, nimis ponderosum, auarum, & latu impossibile Vestram Maestatis tyrannicum iugum, quod rejiciatur & excutiatur dignum inuenientes: & desperatione ducti Deo maldicunt, illi supradicta omnia mala attribuent, cum colore, & titulo suæ legis tam multa mala accidunt, quæ ipse fert, nec eos castigat & punit, nec nequitiam eorum, qui se seruos Dei iactitant, à quibus hæc mala oriuntur, & procedunt, retardat, aut omnino reprimit. Die ac nocte suorum Deorum desiderio aguntur, & flagrant, nostro Deo eos meliores esse existimantes, ab hoc n. infinitis malis, ab ijs multis bonis afficiuntur, eorum causa nullas molestias, quibus à Christianis affliguntur, recipientes.

Quintæ rationis Apographum.

Demonstrabimus, & ostendemus Vestram Maestati, Hispanos spatio triginta octo, vel quadraginta annorum, numero computato iniuste vltra duodecim milliones vestrorum subditorum cæcidisse: non dico quantum multiplicare, & sobolem augere potuissent, cum nulla sit regio in toto mundo tam apta, & conueniens, cum bestiarum, tūm creaturarum humanarum generationi: ferè enim omnes huius Regni regiones temperatae sunt, & per consequens humanæ generationi fauentes. Innumera hæc gens ab Hispanis, ut officia, dominationes, & Imperia in cæteros haberent & exercecerent, cædibus sublata est. Si enim Indianis iniusta bella inferentes, illi se armis tueantur, eos miris editis stragibus cedunt, qui verò

118 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

pugnæ supersunt, serui ducuntur ad fodiendum aurum, & argentum, eos, ad onera ferenda, binos, tanquam bestias, ligantes, quos etiam locant, & illis perinde est, moriantur, vel viuant, modo eorum labore aliquod emolumenū consequantur, & multos nummos cumulent. In veritate loquor, me multa dicenda, quæ omnibus nota sunt & manifesta, relinquere. Quod si quis contrarium Vestræ Maiestati persuadere velit & tentet, ipsius veritatis viribus probabimus eum læsæ Maiestatis reum, & latrociniorum in Indijs commissorum esse participem, vel aliquam eorum partem sperare. Quis enim aër tam pestilens cœlo descendere potuisset, qui ultra 2500. terræ millaria, infinito hominum numero culta, nullo relicto habitatore, consumpsisset.

Sextæ rationis Apographum.

Hispani sola temporali vtilitate ducti, notam, qua nulla magis ignominiosa aut pestilens, Indianorum nomini inusserunt, eos scilicet abominandi illius contra naturam peccati esse conscos, & reos: in quo certè, non minor inest nequitia, & malitia, quam falsitas, & mendacium. In omnibus enim Insulis, Hispaniola, sancti Ioannis, Cuba, Iamayca, & sexaginta Lucayis, in quibus infinitus viuebat hominum numerus, nulla unquam huius peccati mentio facta est, cuius rei testes sumus, à principio enim inquisiuimus. Nec in toto Perusio, de eo sceletere ullus sermo. In regno verò Yucatan, né vnicus quidem hoc unquam criminе contaminatus inuentus est, deniq; nec in tota America generaliter. Fertur quidem in aliquibus partibus aliquos huiusmodi homines viuere: non tamen idcirco tota regio insulari, aut vituperio affici debet. Idē de victu carnis humanae dictum volumus, nempe in hisce partibus nihil tale fieri, in aliquibus tamen non negamus. Nec hoc tantum, sed etiam illos idolatriæ accusarunt, quasi verò quamvis tales sint, ab hominibus, non autem à Deo, quem offendunt, puniri, & castigari

gari debeant: habent enim terras & Regna separata, & solis naturalibus Dominis obedientiam præstant. Nostri autem maiores, antequam in fidei doctrina instructi essent, & instituti, iisdem idolatriæ tenebris erant obuoluti, & ante Domini aduentum omnes in eodem errore versabantur. Quod autem tam humani, comes, & humiles se illis præstiterint, eos legis, & fidei Christianæ nec idoneos, nec capaces dicere ausi sunt.

Hispani sponte, & data opera impedimento erant, ne doctrina Christi, eiusq; virtus & potentia prædicaretur, & annunciatoretur: religiosos enim ne tyrannides detegerent aut animaduerterent, vrbibusq; aliisq; locis expellebant: immo etiam Indianos malo suo exemplo corruperunt, deprauatos multos mores & vitia, quorum antea penitus extiterant ignari, illos docentes; vt sunt iurare, sacrum Christi nomen blasphemare, vsuras exercere, mentiri, & multa alia peccata, eorum naturæ, tam benignæ, comi, & rectæ, contraria & repugnantia.

Iterum igitur Indianos Hispanis tradere, vel relinquere, nihil est aliud, quam eos hominibus dare, qui procul dubio, & corpore, & anima illos destruunt, & ad nihilum redigent.

Rex Ferdinandus fraude & dolo circumuentus, Indianos ex Insulis Lucayis, ad Hispaniolam trahi & duci, atq; ita propriis ædibus, & patria priuari permisit: quæ causa extitit, vt ultra centena millia hominum perierint, ita vt in quinquaginta Insulis, quarum aliquæ Canaria maiores erant, & omnes populo infinito abundabant, vndeclim tantum personæ, cuius rei testes esse possumus, inuentæ sint. Si Maiestati Vestræ, eorum hominum, qui Insulas Lucayas incolebant, crudelitates, cœdes, deuastationes, quæ ab his sanctis Hispanis commissæ sunt, recenseret, Regiis vestris auribus fastidium, & horrorem parerent. Hispanos autem Indios bellis lacepsiuſſe, occidiſſe, natis, amicis, proximis, bonisq; priuatis, & spoliatis superius satis, abundeq; probatum est, & hoc idem regio omnino desolata, & deferta

serta testatur, mundus clamat, Angeli deplorant, Deus magnis illis castigationibus, & vindictis, quibus in nos sœvit, aperte declarat.

Septimæ rationis Apographum.

Hispani Indianis omnem corporis substantiam, domi enim aliud non habent, sugunt & lingunt; ad sanguinem usque spuendum torquent, omnibus periculis exponunt, diuersos labores, & intollerabiles imponunt, & quod magis est, variis tormentis baculorum, & flagellorum ictibus eos lacerant, & laniant, deniq; mille modis affligunt, & consumunt.

Subiicere autem Indianos Hispanorum potestati, idem est, ac pueros freneticis & furiosis nouaculam gerentibus iugulandos dare, vel homines potestati furiosorum, & capitalium hostium, quos iamdudum cœdendi desiderium teneret, exponere, vel virginem formosam adolescenti, eius amore capto & illaqueato tradere, inde enim eius corruptio, & violatio, sequeretur, nisi gratia diuina intercedente insigni aliquo miraculo, liberaretur: breuiter idem esset, ac si inter rabidorum taurorum cornua imponerentur, vel si lupis, leonibus, aut tygridibus longa fame oppressis obiicerentur, & exponerentur. Nec minoris essent authoritatis leges, prohibiciones, & minæ de expositis non deuorandis, his crudelibus feris factæ, quam Hispanis de non cœdendis Indianis, ut aurum obtineant. Et magna nostra, longaq; experientia hoc Maiestati Vestræ affirmamus, quod quamuis imperaret, vt patibulum, præ foribus cuiusq; Hispani erigeretur, & per factam suam coronam iuraret, vnumquemq; eorum affixum iri, si vel unus Indianus occisus, desideraretur: tamen si sua Maiestas aliquam illis authoritatem, potestatem, vel imperium mediatè, vel immediatè, vel quocunq; alio modo concederet & permitteret, ab occidendis Indianis non desisterent.

Octauæ

Ottave rationis Apographum.

Non solum Indiani seruitutem Hispanorum ferunt, sed etiam illis datur lanio, vel potius crudelis carnifex, qui illis in unaquaque urbe vel loco imperat, quem Estanciero, vel Calpis quo sua lingua vocant, ut eorum laboribus, & omni operi, ad quos eos accingi supremus latro iubet, inuigilet: Qui tantis tormentis eos afficit, ut nulla in toto mundo illis sint comparanda. Hic carnifex fustibus, flagellis, & baculis illos cedit, vrentis laridi stillantibus guttis irrigat, tormentis continua torquet, vi virgines, & mulieres stuprat, gallinas, eorum maximum thesaurum, comedit, vel Dominis & tyranno maiori dono dat: denique variis aliis & infinitis tormentis cruciat: & ne de illatis tormentis conquerantur, hic Diabolus illis timorem incutit, seq; eos idolatriæ insimulaturum, & accusaturum minatur. Denique necessum est, ut complaceant & inseruant viginti circiter inordinatis & dissolutis hominibus, nulla ratione præditis: atque ita quatuor præcipuos habent Dominos & magistros, Vestram Maiestatem, suum Cacicu[m], illum cuius Imperio submittuntur, & illum Estancieronem, de quo paulo ante facta est mentione, qui quidem omnium pessimè illos tractat. Et adhuc illis omnibus addi possunt, monchachos, & Mauri, quorum ministerio magnus Magister & Imperator vtitur, isti enim miseram hanc gentem grauiter deprædantur, & opprimunt.

Decima rationis Apographum.

Maxime timendum est, ne Deus Hispanias propter maxima peccata, quæ hæc gens in India patrauit & commisit, destruat, & ad totam desolationem adducat, cuius rei iam apparet castigatio, & iam omnes confitentur maximum fecisse progressum, vnde apparet Deum propter dictarum regionum deuastationem, & destructionem maxime offendit & iratum, cum ex tantis thesauris, quos India dedit (qui tanta auri, & argenti

Q

genti

genti vi constabant, vt nec Salomon, nec alius Rex quispiam, de tanta mentionem fieri audiuerit) nihil omnino remanserit, aut supersit. Immo de ea pecunia, quæ hic ante Indiarum conquisitionem extabat, nihil amplius cernitur. Vnde accidit, vt omnia cariora sint, quam solebant, & populus magna necessitate, & inopia prematur; nec quidquam magni, aut admirandi Maiestas Vesta exequatur.

Vndecima rationis Apographum.

TOto eo tempore, quo gubernatio penes Laresiū fuit, nō maior adhibita est cura in docendis, & instruēdis Indianis, vel ad salutis portū ducendis, quam si ligno, vell lapidibus constitissent. Ille maximas vrbes expopulabat, & vni Hispano centum Indianos, alteri quinquaginta, vt quisque illi gratus erat, tribuebat. Ille infantes, senes, grauidas fœminas & puerperas, vitos in aliquo officio, vel dignitate constitutos, communem plebem, naturalium vrbiū & regionum Dominos, iis, in quorum amicitiam vel utilitatem ferebatur, tradebat, in litteris Imperatoriis scribens: Tibi tali, quem nominabat, tantus Indianorum numerus, cum suo Cacico detur, vt eorum seruitio in fodinis & negotiis utaris. Et ita, nullo dempto, omnis generis, sexus, & ætatis homines, quamdiu vitæ supererāt, laborare & inscriuire cogebantur.

Ille concedebat, & permittebat, vt viri coniugati, et matrimonio iuncti, ad fodiendum aurum, ad fodinas, per decem, quadraginta, octuaginta, quandoq; plus, quandoq; minus, millaria ducerentur. Interea vxores in villis maximis laboribus incumbentes, manebant, & terram cumulabant, quam fodiunt, & eleuant quatuor palmatum altitudine, & duodecim pedum latitudine, qui gigantis est labor, cum præcipuè non rastris vel bipaliis, sed solis palis terram fodiant, in aliis locis Xilum vel Gossipium nebant, deniq; diuersis aliis seruitiis applicabantur,

quæ

quæ ad nummos comparandos commodi ora videbantur; & ita
sæpè accidebat, ut coniunx coniugem toto anno ne semel qui-
dem videret: cum verò elapsò illo tempore conueniebant, ita
defessi erant, præq; labore, & fame ita debiles, ut cohabitandi
vel coeundi nullo desiderio tenerentur, atq; sic generatio ces-
sauit, & iam procreati infantes, deficiente ex nimio labore & fa-
me matribus lacte peribant, quæ etiam causa extitit, ut spacio



124 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

trium mensium, nostrum aliquo præsente, in Insula Cuba, septem millia infantum obierint: aliquæ fœminæ desperatione ductæ, proprios natos suffocarunt & occiderunt, aliæ verò gravidæ, nè fructus maturitatem consequeretur, herbis quibusdā infantes necdum natos necauerunt: atq; ita viri in fodinis, fœminæ in villis & agris vita finem imponebant. Sic cessante generatione, paulatim etiam omnes homines deficiebant, totaq; regio incolis denudabatur.

Gubernator illos laboribus continuo affligendos tradidit, & in ipso labore, rigore, & nimia austерitate illos tractari permettebat: Hispani enim, quorum imperio traditi fuerant, certos carnifices inhumanos & immites virgis, baculis, & alapis eos excipientes, constituebant: neq; verò unquam aliquod humanitatis, vellenitatis signum in illis apparebat, sed toti in rigore & austерitate confecti erant: & verè crudele esset & inhumane, ipsos Mauros, quantumuis magna damna Christianis inferant, tanto rigore, & asperitate tractare, & maiori ratione Indianos gentem lenem, comem, humanam, & si vlla sit in toto orbe, obedientem. Qui autem fodinis præerat Miniero, qui verò villis Estanciero appellabatur, quorum inhumanis tormentis oppressi aliqui Indiani, ad montes fugam arripuerunt, solam mortem expectantes; quod cernentes Hispani certum satellitem constituerunt & elegerunt, cui nomen Alquaziles del Campo inditum est, cuius officium erat eos in montibus venari, & persequi. Gubernator in vrbibus, & aliis Hispanorum locis, certos viros magni nominis, & authoritatis constituit, quos appellavit visitatores, quibus, respectu officii tantum, non computatis ordinariis, quas obtinebant partibus, centum Indiani ad seruitium dabantur. Isti insignes erant totius vrbis carnifices, & reliquos crudelitate superabant, illis offerebantur & præsentabantur, qui ab Alquazilis del Campo in dicta venatione capiebantur, aderat etiam, quibus commendati erant,

erant, qui eos accusabat his verbis. Talis Indianus, vel talis Indiana canis est, qui inservire non vult, sed confugit ad montes, ut laborem fugiat & cuitet, idcirco peto, ut puniatur & castigetur. Hoc dicto visitator eos palo affigebat & alligabat, & ipse met picata chorda, quæ à nautis anguilla vocatur, quæ est instar virgæ ferreæ, ita eos verberabat & afficiebat, ut sanguine vndiq; fluente, pro mortuis relinquerentur. Crudelitatum in hos agnos patratarum Deus est testis. Quod ad me attinet, ne ex mille partibus vnicam explicari, aut à quoquam recitari posse existimo. Labor auri fodiendi illis imponebatur, qui ferreis egeret hominibus, montes enim millies inuertendi sunt, rupes fodendæ, aurum postea in fluuiis lauandū, & ita in aqua perpetuo versantes & hærentes, naturæ & corporis vires corrūpunt. Quod si ipsæ fodinæ aquam suppeditent, nihilominus tamen brachiorum maximo labore haurienda est. Breuiter ut Vesta Maiestas laborem auri & argenti fodendi comprehendat & intelligat, consideret gentiles & paganos Imperatores, ad maius nullum tormentum, dempta morte, martyres damnasse. Aliquando per annum integrum in fodinis detinebantur, sed postea, cum multa hominum multitudo periret, constitutum est, ut quinq; tantum mensibus aurum foderent, illis verò quadraginta diebus, quibus liquabatur, quiescerent. Illorum autem quies erat, ut cumulos, de quibus supra dictum est, sternerent, & congregarent, qui quidem labor supra dicto non cedebat. Festi dies illis erant penitus ignoti, labor enim omnibus diebus erat communis. Atq; in summo hoc labore, ne illius quidem regionis panis, caçabi, qui cum radicibus confectus sit, nisi carnes, aut pisces addantur, parui est nec solidi nutrimenti, sufficienter dabatur: huic pani, regionis piper, & ayæ, quæ sunt radices instar tostarum raparum, adiungebantur & addebantur. Et aliqui Hispani, qui insigni liberalitate se illos alere existimabant, singulis septimanis vnum porcum quinquaginta Indianis

Q,

distri-

distribuebant, cuius Miniero medium partem consumebat, & alteram medium inter illos diuidebat, vnicuique tantum tribuēs, quantum monachi panis Benedicti in templis dare solent. Aliqui erant, qui nimia auaritia obsecrati ad campos & montes eos mittebant, ut arborum fructibus satiarentur, atque ita saturi reuersi, per duos vel tres dies, ne unico frusto oblato labori, & operi incumbere cogebantur. Consideret, rogo, VestaMaiestas, quod alimentum ex hoc victu corpora sua natura tam debilia & delicata, infinitis laborum generibus consumpta & attenuata capere possint, & utrum hi homines tantis laboribus fracti & confecti, vitam tam tristem ducentes, infinitis angoribus, deficiente victu, afflitti & consumpti, longæuam vitam trahere valeant. Gubernator tandem iussit, ut illis salaria & mercedes darentur: & tam pro impensis & victu, quam pro laboribus & seruitiis, singulis binis diebus tres blancæ darentur, quæ per annum medio coronato æquivalent, quod quidem sufficiens erat, ut rosarium, pecten & speculum, conficerentur. Multo annorum spacio illis nihil datum est, neque vero illa distrahebantur cura, solo enim hoc desiderio tenebantur, ut semel saturarentur, postea vero vitæ tam afflictæ & desperatæ cederent. Tandem libertate in totum eos priuauit & spoliauit, Hispanis permittens, ut in seruitutem & captiuitatem duriorem & asperiorum, quam credi aut imaginari possit, illos redigerent, nihil omnino in hac vita habentes, quo liberè frui possent. Et in eo bestiarum melior est conditio, cum enim ad campos, pascendi gratia mittuntur, aliquid habent relaxationis & libertatis, Indiis vero nec tempus, nec otium quiescendi ullum concedebatur: Gubernator in seruitutem absolutam, & perpetuam redigebat, nec illis aliquid per se ipsos agendiulla restabat aut supererat voluntas, sed id tantum, ad quod Hispani inordinata sua auaritia & ambitione trahebantur, eos non tanquam captiuos, sed tanquam bestias, quæ ad opus aliquod vel laborem trahuntur,

ducen-

ducentes. Si illis quandoq; permitteretur aut concederetur, vt domum ad quietem repeterent, ibi nec vxorem, nec liberos, nec quicquā quod comederent, inueniebant, atq; ita sola mors afflictis & miseris vltimum erat remedium. Variis itaq; laboribus fracti, in morbos, quod facilè propter delicatam eorum naturam accidebat, incidebant: & quod sanitati maximè aduersabatur, & contrarium erat, sine vlla misericordia ad laborem iterum ducebantur, pedum & baculorum ictibus excipiebantur, & Hispani villacos eos appellantes, morbum simulare ad laborem præterfugiendum dicebant: cum verò augecente indies morbo, nihil seruitii aut utilitatis amplius expectarent, eos domum remittebāt, & ad iter triginta, quadraginta, vel octuaginta milliarium, sex vel septem fortes radices, raparum species, cum exiguæ Caçabi copia dabant, qui non longo itinere confecto, desperati moriebantur: alii confectis decem vel viginti milliibus, maximo desiderio domum perueniendi, vt ibi miseræ viæ finem imponerent, in itinere mortui decidebant: & multos in itinere mortuos sæpè vidimus & inuenimus, alias vltimum spiritum trahentes: alias vero verbis, vt poterant & gemitu, extremæ famis, qua premebantur, testimonium dantes. Quando autem cernebat gubernator, eorum qui commendati fuerant, deesse numerum, sorte mortuorum vices supplebat: quod singulis ferè annis siebat & accidebat.

Ferarias, terram firmam, tanquam lupus in agrorum gregem ingressus est, & tanquam furor & flagellum Dei, tantas, cœdes, strages, latrocinia, violentias & crudelitates, cum Hispanis, quos conscripserat, committens & patrans, & tam multas vrbes, & pagos destruens & expopulans, vt patrum nostrorum ætas, talia nunquam viderit aut audiuerit, nec tam horrenda vllus nostræ ætatis historiographus scriptis testatus sit. Et in Regem, & in subditos insignia furta, cum iis, quos secum duxit, commisit, & vltra quadringenta terræ millaria (quaæ quidem regio totius

28 C R V D E L I T A T E S H I S P A N O R V M

tius orbis ditissima, fertilissima & populis incolisq; refertissima extabat, à Dariano, quo primùm appulit, vsque ad Nicaraquam se extendens) destruxit, & ad extremam desolationem adduxit; damna autem, quæ dedit & intulit, quatuor, immo sex auri millionibus, resarciri aut reparari non possent. Ab homine hoc perniciose & perduto, Indianos Hispanorum potestati & imperio submittere, prima origo, quæ pestis postea per totam Americam, in qua Hispani versantur, paulatim serpere cœpit; atque ita ab eo, & eius imperiis, ex quibus tantæ hominum perditiones, tantorumq; Regnorum Vestræ Maiestati subditorum, ab anno millesimo quingentesimo quarto, deuastatio, desolatio & ruina procedit, & oritur.

Quando dicimus, Hispanos septem Regna tota Hispania ampliora destruxisse, nos ea hominibus refertissima vidisse, & iam in illis nullum omnino extare, intelligendum est. Hispani enim omnibus naturalibus incolis sublatis, sola, vrbium, pagorum, villarumq; mœnia, populo & habitatore destituta, & deserta reliquere; non secus ac si omnis Hispania, solis restantibus vrbium & pagorum, aliorumq; locorum mœniis, omni populo mortuo, expopulata & deserta iaceret.

Decima tertia rationis Apographum.

V Estra Maiestas, ne vnicum obolum, quod certum sit, perpetuum & durabile in omnibus Indiis habet, sed eius redditus, similis est foliis & straminibus, quibus semel collectis, ad eandem messem non datur regressus, cuius rei hæc sola causa est, quod Hispanorum potestati Indii subiiciantur: cum enim singulis diebus minuantur & rarescant, necessarium est etiam Vestræ Maiestatis redditum minui.

Hispaniæ regnum maximo versatur in discrimine & periculo, ne ab extraneis, & peregrinis nationibus, præcipue vero à Turcis, & Mauris inuadatur, destruatur & opprimatur: Deus enim,

enim, qui iustus est Iudex, ægrè fert offensas, peccata, afflictiones, oppressiones, tyrannides, latrocinia, & cœdes, ab Hispanis in Indiis commissas & patratas; omnes enim illius regionis incolæ ad imaginem, & similitudinem sanctissimæ Trinitatis creati & formati sunt, Deiq; (cui curæ sunt) precioso sanguine redempti, à quo Hispania electa fuerat, ut has gentes illuminaret, & ad sui cognitionem perduceret, cui, ac si salariū in hoc mundo, præter æternæ vitæ compensationem dare voluisset, tā amplas, fertiles & amoenas regiones, fodinarum auri & argenti, gemmarum & vñionum, infinitorumq; bonorum, quorum tanta nulla vñquā ætas vidit, diuitias innumeræs concesserat; quorum omnium ingrata, infinita mala, pro innumeris, quæ recepit, beneficiis intulit: hanc autem regulam in suis vindictis & castigationibus obseruat Omnipotens, vt peccata iisdem vel contrariis peccatis puniat & castiget.

Destruçtio, iniustitia, violentiæ, crudelitates & cœdes in hos innocentes commissæ tam enormes sunt, publicæ & notoriæ; vt lacrymæ, fletus, & sanguis horum innocentium ad supremum cœlorum fastigium, ad Deiq; cognitionem & notitiam peruerent & ascenderint; & inde per totum orbem iam vagentur, omniumq; etiam peregrinarum nationū, quantumvis barbararum & immanium aures personent: vnde audientibus scandalum, horror & abominatio gignitur; & totius populi Regumq; Hispaniæ odiū & intamia magnaq; idcirco damna consequi, & conflari possent.

*PROTESTATIONIS DICTI EPISCOPI,
& authoris Apographum.*

QVæ damna, & incommoda propter has Americæ deuastationes, & cœdes Castellæ, & Legionis corona, tota denique Hispania receptura sit, cœci vident, surdi audiunt, muti clamant, & sapientes iudicant. **Q**uia autem parui sunt hominis

R dies,

130 CRVDELITATES HISPANORVM

dies, nec diu vitæ superesse possumus, Deum, omnes hierarchias & choros Angelorum, omnes aulæ diuinæ sanctos aulicos, deniq; omnes homines, qui in hac miseriarum valle, adhuc peregrinantur, eosq; qui multis abhinc annis eandem carnis viam ingressuri sunt, testes asseuerationis præsentis, & conscientiæ exolutionis appello & inuoco dicēs, quod si sua Maiestas supradictas partitiones & diuisiones, sortes tyrannicas & diabolicas permittat, non obstantibus omnibus legibus & statutis, quæ fieri & promulgari possent, fore ut Indiae breui tempore desertæ, & expopulatae cernantur, non secus ac Hispaniola, Insula alias fœlix & fertilis, & reliquæ regiones, quæ in longitudinem trium millium milliariorum, non comprehensa Hispaniola, nec vicinis Insulis, protrahuntur & extenduntur. Et procul dubio propter ea peccata, quæ in illis regionibus committuntur, Deus (ut me sacræ litteræ docent & certum reddunt) horribili castigatione & vindicta, & fortè integra destructione, Hispaniam persequetur & castigabit, Anno 1542.

PROLOGVS EPISCOPI BARTHOLOMÆI
de las Casas, vel Casai ad Potentissimum Dominum Phi-
lippum, Principem Hispaniæ, Domi-
num nostrum.

ILLUSTRISSIME & POTENTISSIME PRINCEPS, proximè præteritis diebus vigilantissimum Indiarū Regium consilium, zelo quodam & honore, quo in Deum fertur, & in seruienda sua Maiestate, fidelitate, qua maximè nitet, dūctum me incitauit, mihiq; persuasit, ut scriptis quandoq; quod olim, & ore & præsentia, testarer; nempe: Qualis esset mea sententia de titulo & iure, quo Castiliæ Reges, in Indiarum vniuersali, & suprema Dominatione nituntur; cum præcipue in me aliqui insurrexerint (quibus non arridet me cum sua Maiestate, & Celsitudine Vstra,

stra, tractare & negotiari, vt cædibus & stragibus in America commissis & patratis, finis imponatur) dicentes, me cùm tanta asperitate & acrimonia (quod faciā quamdiu hac aura fruar) eas persequar, ius & titulū Regium in dubium reuocare & minuere.

Quod vt præstarem, testimonium secundum Deum, veritatem & conscientiam perhibens, triginta propositiones, nulla alia probatione, quām ea, quæ vnicuiq; per se inerat & necessario sequebatur, nitentes, obtuli, coactus enim fui eas celeriter, propter concilij congregationem Maiestati suæ mittere.

Postea verò crescente indies, & augmentum capiente desiderio Deo inseruendi, aliquorū columnias refutare & reprimere decreui, qui vel quòd veritatem comprehendere non valeāt, vel quòd eorum deliberationes & consilia contrarium finē propositum habeant, præsumunt sub specie ficta & fucata Regibus inseruendi (qui propria & nobili sua natura ingenio & animo benigno & simplice dotati sunt, alios suo pede metientes) illis venenatam, amaram & forte lethiferam potionem offerre, qua non solum Regna desolantur & destruuntur, sed etiam ipsæ Regum personæ in aperta pericula & damna irreparabilia cōiiciuntur & præcipitantur : qui fraudulentis consiliis, quantum in illis est, bonos & sanctos Regum affectus, principumq; insignes deliberationes, & sana studia (qua de re summus ille Artaxerxes, alias Assuerus, vt apparelt in historia Hester, conquestus est) corrumpunt & vitiant. Quamobrem, Potentissime Domine, iam in lumen posui dictarum propositionum & aliarū probationem, quam breui hoc summario ex maiori volumine de prompto & excerpto, complector & comprehendendo : hic autem tantum decimam septimam, & decimam octauam propositionem in medium adduco ; omnis enim huius materiæ substantia, ad has duas propositiones, tanquam ad sua principia, & fines refertur.

Titulus autem dicti operis, quo aduersariorum sententia

probabatur, talis erat meo iudicio / Tractatus probatorius summi imperii & vniuersalis Dominationis Regum Castellæ, & Regionæ in Indias) præsupponens hoc clarum esse, nec vlla probatio ne indigere, cum à sancta sede Apostolica concessum sit, nec opus esse rationes, quare hoc imperium concessum sit, indagare & excutere.

In hoc autem tractatu conscientiæ primò satisfacere contendo, vtens ministerio natihi diuina prouidentia, vt videtur imposito, (quippe qui iam annosus sim, attigi enim quinquagesimum annū, & idcirco magna & ampla cognitione, & negotiorum Americæ oculari experientia præditus & dotatus) vt eorum quæ gesta sunt, geri fieriqt; debebant, eos ad quos attinet, monerem; omnia mea desideria ad id conferens & dirigens, vt confusionibus, quas in his regionibus, regnum & imperium obtinere vidi, finis imponatur.

Quia autem ij, qui maiora huic remedio præstant impedimenta, ipsimet procul dubio sunt, qui (omni iustitia & veritate extincta) fucato quodam sermone & falsi iniustiq;, cum eo, quod ad seruitium suæ Maiestatis pertinere videtur, mixtione & confusione, ius quod in nouo mundo habet, colorare & fueare tentant & conantur, cum tamen sint verè eius seruitio, tam spirituali, quam temporali (quam opinionem omnis Christianus & sapiens tuebitur & defendet) contrarii & aduersarii. Alterum verò, quod obtainere hoc tractatu spero est, vt errores eorum in lucem & evidentiam prodeāt, qui temerarie affirmare audent, ius & Dominationem Regum Castellæ in Indiis, fundamentum habere, & fundari debere armis, & magna potentia, eo ipso modo, quo Nembrot primus hominum venator & oppressor (vt apertè demonstrant sacræ literæ) dominationem suam fundauit, & vt Alexander Magnus, Romani & insigniores tyranni Imperia sua stabiliuere, & eo modo, quo hodie Turca Christianum orbem inuadit & opprimit.

Quomo-

Quomodo ij, qui tales ferunt sententiam Regi male inseruant, et synceritatem, iusticiæq; amorem, quo Castiliæ reges summopere afficiuntur, offendant & lœdant, omnes iudicare facile possunt.

Vtautem supradicta probent, errores erroribus cumulāt, & absurdia absurdis, indignisq;, quæ ab ijs, qui Christiani & ratione prædicti haberi volunt, audiantur. Hoc enim commune, est & vulgare, vt ij qui à virtute vel veritate aberrant, dum errorrem excusant & defendunt, in alium incident & labantur.

Alii sunt qui honestiores titulos allegant & adducunt, qui non solum reijci, sed etiam reprehendi & irriteri merentur; quorum in numero sunt ij qui dicunt nos, quod prudentiores & sapientiores simus, vel quia proximiores, & viciniores, vel quia Indiani tali taliq; vitio maculati sunt, sub iugum illos mittere & debellare licite posse; quibus titulis tantum abest, vt causæ neruos addant, quin omnino tollunt, omniaq; fundamenta in totum subuertunt.

Atq; vt suæ M aiestati, quod supra dictum est innotescat, & (vt Christianissimus) mundum ab immundo, iustum ab iniusto, cognita veritate discernat & distinguat, eosque qui integra voluntate illi inseruiunt, & eos qui propriis affectibus ducti & particulari vtilitati studētes, nouos titulos, qui nullius sunt probationis vel valoris, configunt & inueniunt: sperans me breui, ad osculandas omni humilitate suæ Maiestatis manus accessum, interij hunc tractatum v. suæ Celsitudini offero, eum ad suæ Maiestatis cognitionem peruenturum certò sciens. Rogo autem & precor Celsitudinem Vestram, vt eius nomine, cū recipiat; & ea ipsa sapientia & bonitate, quam hereditario titulo possidet, examinare, discernere & cognoscere velit; cum ita sit à diuina prouidentia constitutum, eodem iure & Imperio, vt speramus, Vestram Celsitudinem aliquando potituram & fruitoram. Quod si conueniens & consultum illi videatur, vt huius

Regni fines egrediatur, Latinitate, si ita Celsitudo Vestra iubeat, donabo. Quod si nec Latinè nec Hispanicè typis mandari mereatur, parua erit iactura; idcirco enim prælo tradidi, ut facilius Celsitudo Vestra legeret, cuius gloriosam vitam & Regium statum, omni prosperitate conseruet & augeat Omnipotens.

S Y M M A D I S P U T A T I O N I S I N T E R F R A T R E M
*Bartholomaum de las Casas vel Casauum Episcopum, &
 Doctorem Sepuluedam habite.*

D Octor Sepulueda, Imperatoris, Domini & Regis nostri historicus, ab Hispanis quibusdam destructionum & cœdiū in Indiis patratarum reis & consciis instructus & persuasus, libellum elegantissimum quidem, omnibusq; (vt erat vir doctus & eius linguae peritissimus) Rhetoricæ partibus absolutum edit & in lucem emisit: totus hic liber, circa principales duas conclusiones versabatur, quarum prima erat, Bella contra Indianos ab Hispanis gesta & iure, & causa iusta, & æqua extitisse, & eadem bella generaliter & posse & debere geri & moueri. Altera conclusio est, Indianos teneri & obligatos esse, Hispanis tanquam ignari & idiotæ sapientioribus, se submittere, quod si subiicere se nolint, ad id ab Hispanis compelli debere. Hæ sunt duæ causæ desolationis & mortis infiniti populi, & cur ultra duo millia milliaria, Hispanorum in Indiis crudelitate & inhumanitate, expopulata & vnni incola denudata sint; nempe cōquæstionibus, quas appellant, & quibus partitionis nomen indiderunt.

Dictus Docto^r Sepulueda, vt tractatui suo fucum adderet, se iustos Regum Castellæ & Legionæ titulos, quibus vniuersali & supremo totius Indiæ dominio fruuntur & potiuntur, probare velle contendit & affirmauit, vt ita eam doctrinam, quam per hæc & totius Indiæ Regna disseminare volebat, hoc velo

velo tegeret & occultaret. Hunc librum Regio Indiarum consilio obtulit, omni instantia & importunitate rogans, ut eius imprimendi veniam concederet, sed saepe & reiterato repulsam passus est, dictum enim consilium scandala, pericula & damna evidentia & apparentia, quæ in publicum redundarent, cernebat & iudicabat. Cum igitur cerneret se librum hunc, Indianum consilio vetante imprimere & typis mandare non posse, amicorum qui in Imperatoris aula versabantur, ope & auxilio litteras patentes obtinuit, quibus sua Maiestas ad Regiam Castellæ curiam Indianarum rerum penitus ignaram remittebat. Eo ipso tempore, quo haec litteræ curiae, quæ tunc in Aranda Due-ro Anno 1547. versabantur, allatae sunt, frater Bartholomæus de las Casas vel Casaus, Regiæ vrbis Chiapensis Episcopus, India appulit, qui de Sepuluedæ factionibus, deq; eius libri subiecto & materia monitus & certior factus, pernicioſam authoris cætitatem & irreparabilia damna, quæ libri impressione prouenirent, cognoscens, quanto potuit rigore & asperitate se opposuit, latens venenum & authoris intentionem declarans & aper-
tè demonstrans.

Regij assessores, vt sapientes & iusti, cum hanc materiam ad Theologiam ferè omnem spectare & pertinere animaduerterent, ad Salamancæ & Alcalæ Vniuersitates & Academias, dictum librum misere, expressè iubentes & imperantes, ut examini subiicerent, & vtrum typis mandari deberet subsignarent. Dictæ Academiæ multis exactis disputationibus habitis, librum vt qui non sanam dicitur strinam contineret, prælo tradi non debe-re concluserunt & determinarunt. Non contentus Doctor, & grauiter conquerens de dictis Academiis, non obstantibus repulsis, quas à duobus Regiis consiliis passus erat, suum tractatū ad amicos, quos Romæ habebat, mittere decrevit, ut eam in Apologiam, quam in Episcopum Segonianum scripserat, transformatum typographo imprimendum traderent, dictus enim Episco-

Episcopus libro, & tractatu viso eum fraternè & amicè litteris reprehenderat. Monitus Imperator & certior factus de huius libri & Apologiæ impressione, statim patentes literas expediri iussit, vt omnia diplomata & apographa colligerentur, & eterno silentio sepelirentur, quod & in regione Castellæ factum est, vulgari enim sermone certum summarium dicti libri scriperat, vt ad plebis, quæ Latini sermonis cognitione est destituta, notitiam perueniret; subiectum enim eius libri, diuitias & officia, ad quæ nec ipsi nec maiores vñquam peruererunt aut attigerunt, sine sumptibus, sudoribus & laboribus obtinere cupientibus, suave est & gratum. Quod Episcopus Chiapensis cernens Apologiam vulgari idiomate, in dicti Doctoris summarium, ad Indiarum defensionem scribere, & in lucem emittere decreuit, omnia eius fundamenta impugnans & subuertens, rationibusq; quibus ille nitebatur respondens, & præterea populo, damna & pericula, quibus eius doctrina scatet, detegens & demonstrans.

Peractis supradictis, & cum intermedio illo tempore multa accidissent, sua Maiestas Anno millesimo quingentesimo, quinquagesimo multos litteratos & eruditos, partim Theologos, partim Iureconsultos congregari & conuocari iussit & imperauit, vt Regiæ Indiarum Curiæ iuncti inter se examinarent & deliberarent: An iure saluo in hanc gentem, nulla alia, quam infidelitatis culpa notatam & conuictam, bella mouere & arma suscipere licet.

Aduocatus est Doctor Sepulueda, vt quæ de hoc facto dicenda habebat, declararet & in medium proferret: prima sessione, quæ voluit nullo repugnante retulit. Postea verò dictus Episcopus vocatus est, qui quinq; dierum continuo spacio, Apologiam suam legit, quæ cum nimis longa & ampla esset, ab omnibus & Theologiæ & Iurisprudentiæ congregatis Doctoribus Excellens magister frater Dominicus Soto, suę Maiestatis confes-

confessarius, ordinis Sancti Dominici, qui etiam aderat, rogatus est & requisitus, in summa quædam capita dictam Apologia redigere, & tot Apographa quot Domini aderant (erant autem quatuordecim numero) confidere, ut consulta & diligenter considerata materia, de ea sententiam secundum Deum dicerent & proferrent: frater & pater Dominicus Soto dicti Doctoris summarii, & in eum ab Episcopo scriptas rationes comprehendit. Doctori autem ut requisiuerat & postularat, earum Apographum concessit, qui duodecim obiectiones & duodecim responsa scripsit, quibus totidem replicationibus Episcopus respondet.

PROLOGVS DOCTORIS SEPVLVEDÆ
ad Dominos congregatos.

ILLustres & magnifici Domini, cum Dominationes & Gratiæ Vestræ, tanquam Iudices, Episcopū Chiapensem, quinq; dictum spacio cum librum, in quo conficiendo & componendo multorū annorū labores insumpsit, in quo à se confictis rationibus, Indianū conquæstiones, cum barbari ante Euangelij prædicationem & notitiam (quo modo reges nostri, & nostra ratio huc vñq; processerunt, & conformis est Papæ Alexandri V I. Bullis & concessionibus) sub iugum mittuntur & debellantur, esse iniustas & iniquas probare nititur; attenta & benigna intentio ne intelligere dignetæ non sunt: æquum est profecto & rogo, ut mihi indulsum & autoritatem sedis Apostolicæ, iustitiam & honorem nostrorum Regum, totiusque nationis defendenti, eadem attentio, dum subtilibus eius obiectionibus, clarè & dilucidè respondeo, concedatur. Et spero me Deo faveante, ea omnia, quæ vanis & friuolis rationibus fulta, in contrarium coram tantis & eruditis Iudicibus, qui iustitiae & veritati nihil omnino præferre vellent, dicta sunt, nullius esse ponderis,

vel momenti aperte ostensurum. Sed ad rem venio, neq; enim honestum esset, coram viris tam diuersis negotiis, præcipue ve-
rò Reipub. impeditis & distractis prolixiori oratione vti.

P R O L O G V S E P I S C O P I C H I A P E N S I S

ad Dominos congregatos.

I Llustres & Magnifici Domini, Reuerendissimi & Doctissi-
mi Patres. In eo quod huc vsq; legi, & scriptis obtuli huic ho-
norando & reuerendo Concilio, in genere contra aduersarios
Indianorum, earum Indiarum, quæ in mari sunt Oceano, locu-
tus sum; quamuis aliqui mihi non sint ignoti, qui apertè in tra-
ctatibus scribendis inuigilent, & eum sibi scopum propositum
habeant, vt bella quæ facta sunt & fieri possunt (quæ tantorum
damnorum, cœdium, & tam amplorum Regnorum, innumera-
rum vrbium, & infiniti populi destructionum, & desolationum
causa extiterunt) excusent & defendant, & has gentes bello,
antequam fidei prædicationibus & concionibus ad Christi co-
gnitionem perducantur, domare & debellare iustum esse, & le-
gi Christianæ conforme & consentaneum: inter quos Reueren-
dus, & excellens Doctor Sepulueda primas se obtainere apertè
profitetur & declarat, cùm rationibus, authoritatibus & soluti-
onibus in contrarium adductis, respondet, quas ad eadem bel-
la detestanda, & ostendendum, demonstrandumq; eas quas ap-
pellant, conquæstiones, iniustas & iniquas esse, in nostra Apo-
logia à me in parte Vestris Excellentiis, & Dominationibus le-
cta, compilauit & composui. Quia verò tantarum, tāmq; ex-
ecrandarum impietatum, quæ ad infamiam fidei, Christiani no-
minis dedecus, & damnum tām spirituale, quām temporale ma-
ioris partis humani generis redundant, se authorem apertè fa-
teri & profiteri non est veritus: æquum mihi visum est & iustū,
cum apertè impugnare, & ad rescindendum cancrum venena-
tum,

tum, quem per omnia hæc regna, vt ad nihilum reducantur, profundere & seminare nititur, me illi opponere & aduersarium præbere. Illustres igitur Vestras Dominationes deprecor, & humiliter oro, vt hoc negocium tam periculosum, tantumq; momenti, considerent & examinent, & publicum, nō proprium meum factum esse iudicent, nullum enim aliud ius prætendo, quām vt Christianum decet, tanquam rem Deum, eiusq; honorem, & Ecclesiæ, nec non Regum Castellæ statum, tam spiritualem, quam temporalem concernentem, defendam & tuerar; dicti enim Reges animarum, quæ iam perierunt, & quæ, nisi huic tam calamitoso tractui bellorum, quæ à Doctore Sepulueda, vt iusta & æqua defenduntur, via intercludatur, resercent & porta claudatur, peritutæ adhuc sunt, rationem reddere & debent, & tenentur. Neq; verò honorandum hoc conciliatum fallaciam & calliditatem, qua ad tegendam & fucandam damnosam suam, & perniciosa opinionem, prætendens se auctoritatem Apostolicam & Regum Castellæ & Legionæ, quod in Indias habent Imperium, tueri & defendere, admittat, nullus enim modò Christianus sit, auctoritatem Apostolicam, aut Regis Christiani Dominationem bellis iniustis et inquis, quibus montes et valles innocentis sanguine teguntur, & Christo eiusq; fidei infamia infertur & inuritur, confirmare, & defendere debet. Sed potius tali procedendi modo sedi Apostolicæ, æterna infamia nota inuritur, eiusq; auctoritas minuitur, vero Deo dedecus infertur, & ius titulusq; Regis perditur, & ad nihilum redigitur, vt omnis sapiens, & Christianus, ex ijs ipsis, quæ à Doctore Sepulueda in medium proferuntur, cognoscere & colligere potest. Illius tituli & iuris hoc non est argumentum, vt in illas regiones & contra hanc gentem, ad latrocinia, cœdes & tyrannides exercendas colore religionis, & fidei prædicacionis, accedere & vi ingrediliceat vt actū est, & patratum à tyraninis qui cœde & strage, vniuersali & generali, tantæ innocen-

tium multitudini vitæ usuram eripuerunt; sed in pacifica, leni & clementi Euangelij prædicatione, & fidei principatusq; Christi introductione, nec siæta fundatione consistit. Qui autem Regibus, & Dominis nostris alias titulos, aliaq; iura ad obtainendum summum Indiarum Imperium adinuenire aut tribuere vult, omnino cæcutit, & Dei hostem, Regi infidelem, nationis Hispanicæ, quam, inferos animabus implere cupiens, perniciose fallit & decipit, inimicum se præbet. Ne igitur plurimi, qui hoc adsunt concilio damnosis his opinionibus acquiescant & faueant, consultum erit, ut tam nocenti, & abominandæ opinioni silentium imponatur. Et quamuis in eadem Apologia ijs omnibus, quæ ad eiusdem confirmationem pertinere videbantur, amplè abundèq; nos satisfecisse putemus & existimemus, tamen quia idem Doctor obiectiones suas iterum, patris Soti summaria ad duodecim obiectiones reducens, in medium protulit; postulat ratio, & æquitas suadet, ut in eum replicatio ne vtar, & eius esse friuolas, nulliusq; momenti defensiones ostendam (quarum secundarum contradictionum dux, ad rem & propositum facientes sequuntur.)

Vndeциma replicationis Apographum.

Quod dicitur Indianos in Hispania noua singulis annis 20000. personarum sacrificare, falsum est, & à veritate omnino alienum, immo ne quidem centum vel quinquaginta; si enim hoc veritati non repugnaret, in his regionibus tantus hominum numerus repertus non fuisset quantus repertus est: & hoc à tyrannis ad tyrannides suas excusandas & iustificandas, & vt Indiani, qui vindemiis factis supererant, in seruitute & tyrannide retinerentur, confictum est, & adinuentum. Nos maiori veritate dicere possumus Hispanos toto eo tempore, quo in Indiis fuerunt plures, suæ Dex Auaritiae tanta dili- gentia


gentia cultæ & adoratæ, quam in toto America centum annorum spacio, immolasse & sacrificasse. Quod cœli, terra & elementa, & ipsi lapides testantur, & clamant, & illi ipsi qui hæc mala patrarunt, non negant. Satis enim notum est & apertum, quanto populo illæ Regiones, cum ad eas accessimus, abundant & affluerent; & quām destructæ & desertæ, cum discessimus remanserint. Erubescere & rubore suffundi deberemus, quod omni Dei timore remoto, tam execrandis facinoribus colorem addere, & ea excusare tentemus, cum precipuè cernamus, nos quadraginta quinq; vel quadraginta octo annorum spatio regiones maioris longitudinis, quām sit tota Europa, & pars Asia, ob hanc solam causam, vt diuitias consequeremur & cumularemus, destruxisse, eas terras deprædantes, & omni crudelitate, iniustitia & tyrannide occupantes & usurpantes; quas humanis habitatoribus, & incolis refertas vidimus, & in ijs ultra vi-ginti hominum Millions periisse & morti succubuisse, certò scimus.


In duodecima & ultima replicatione hec verba continentur.


Hispani non honore Dei, vel fidei zelo ducti & incitati, nec ad promouendam proximorum salutem, nec ad inferuendum Regi, vt se falsò iactant, Americam petunt, sed certe sola auaritia & ambitione stimulante, vt in perpetuum tyrannicè Indiis, quos inter se diuidi & partiri cupiunt, dominantur, & imperent. Quod, vt syncerè loquar, nihil est aliud, quām toto illo modo Reges Castellæ spoliare & expellere, & ipsimet superemo, & Regio Imperio occupato illud sibi vendicare & occupare.


F I N I S.

mon, hanc illam sylvestris habet, sed etiam sylvicola illam, et
invenit eam in aliis locis, non solum in silva, sed etiam
in aliis locis, non solum in silva, sed etiam in aliis locis,
non solum in silva, sed etiam in aliis locis, non solum in silva,
non solum in silva, sed etiam in aliis locis, non solum in silva,
non solum in silva, sed etiam in aliis locis, non solum in silva,
non solum in silva, sed etiam in aliis locis, non solum in silva,
non solum in silva, sed etiam in aliis locis, non solum in silva,
non solum in silva, sed etiam in aliis locis, non solum in silva,











CRUDIS LITII

DISPANORU

FRANCURU

1598.





